BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 H
9 41

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Iesu

[illegible]

—10
A

14-3-H-9

B

LIPPI BRANDOLINI DE HVMANAE VITAE CONDITIONE, & toleranda corporis ægritudine: ad MATHIAM Coruinum Hungariæ & Bohemiæ Regem, & BEATRICEM Reginam Dialogus.

Collegij romani Soc. Iesu

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Adiecimus alteræ huic editioni. De Exhilaratione *animi, in mortis angore* AYMARI FALCONEI THAVTANI *Dialogum,* Opu*ſculum ſanè aureum, mira pietate undiq; ſcatentem.*

BASILEAE.
M. D. XLIII.

1564.

B. S.

14-3-H-9

REVERENDISSIMO
D.D. NICOLAO DE GEREND. *Epiſcopo Tranſſyluanenſi, Sereniſs. Romanorũ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis Conſiliario, Domino obſeruandiſsimo.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

MARTINVS BRENNERVS *Biſtricien. Tranſſyluanus Salutem plurimam dicit.*

ETSI uereor ornatiſſime Præſul ne forte à quibuſdã male audiam, aut etiam in publicum peccare uidear, qui hoc tempore edere nouos libros audeam, præſertim cum in ea re à pleriſq;, idq; multis tis iam annis grauius peccatũ eſſe

multi dictitent, adeò ut pleroſq; qui hac tempeſtate ſcribunt ſuas neſcio quas lucubrationes prorſus impudenter aut certè parum uerecundè euulgare, atque legendos non citra temporis rei omnium preciosiſſimam iacturam obtrudere exiſtimant, atq; ita studioſos à priſcis ac grauiſſimis Authoribus quorum lectione & animus excolitur, & humanæ uitæ ratio conſtituitur, uſq; adeo auertunt, ut priſcos nunc Authores à pauciſſimis, nouos autē ab omnibus ferè legi uideas. Ea denique re effectum putant, ut etiam docti uiri, libros ſuos omni poſteritate dignos edere, ac citra reprehēſionem in lucem proferre non bene audeant.

ant. Quorum equidem opinionem, ſeu ut uerius dicam cenſurã reformidans, libellum hunc optimum, in quem antè aliquot annos bono ſanè genio incideram, uix iam tandem luci permittere auſus fuerim. Atque eo conſtantius quod liber non meus, ſed alienus eſſet, & quod inde ad me parum laudis, inuidiæ autem ſeu infamię plurimum ſi eum diutius detinerẽ, peruenire arbitrabar. Excitauit autem nonnihil cunctationem meam argumenti nobilitas, quod ea ratione ac dignitate Author ipſe tractauit, ut antiquis ſcriptoribus comparandus uideatur. Præcipuè uerò nomen & rara quædã Regis MATHIAE uirtus cuius

ſuiſſe librum uidebam effecit, ne diutius prçmerem, neúe immortalitati tam optimi ingeniorũ Mœcenatis inuidere, id quod à me alienissimum eſt forte iudicarer. Quis autem tam iniquus rerum æſtimator eſſe poſſit, qui eorum aliquid quæ memoriam qualemcunq; referunt abdere, ne dum ea, quæ ab optimis & præclariſſimis ingenijs ad nominis immortalitatem prodita & conſecrata ſunt ſupprimere uellet, uel etiam poſſet: Iam cum Philoſophiæ ſtudio nec ad uitæ conſtantiam, nec ad delectationem animi, nullum maius aut melius à Deo munus homini datum ſit, quis non eam optimam partem Philoſophię eſſe cenſeat, quæ

caſus

caſus quibus humana obnoxia ſunt, fortiter ferendos eſſe docet: Quæ motus animi quos Græci πάθη uocant, nos appetitiones, aut prorſus fugat, aut ſedat in animo, inq́ ordinem cogit: Vnde cernere eſt uiros alioquin claros, quod eã partem eruditionis neglexerint, quàm reflante quandoq; fortuna animo humili, demiſſo, fractoq́ ſint, quantos eiulatus morbo quopiam impediti, emittant: qui ſi doloris medicinam à Philoſophia petere didiciſſent, næ illi perpenſa apud ſe rei, iuxta Epicteti ſententiam, diligenter natura, fœlices ſe potius quàm miſeros eſſe dicerent. Hancrem LIPPVS noſter minimè lippiens, immò accerrimè per-

ſpiciens, hoc in libro (quod uel titulus ipſe indicat) oratorio more doctiſſime complexus eſt. Qui cum potentiſſimo olim & citra cõtrouerſiam inuictiſſimo, omnium ſuæ ætatis Principi ſcriptus & hactenus preſſus fuiſſet, in communem nunc omnium utilitatem à me in lucem eſt editus. Nam cum domi grauioribus indies malis & periculis concutiamur, neq; ullus adhuc finis tantarũ calamitatum nobis appareat, ad ea incommoda uitanda, aut ſi declinari nõ poſſunt ſaltem moderatius ferenda, non parum momenti hic liber afferat. Res enim graues, uerbis electis grauiter ornateq; dictatas, qs nõ ſumma cum animi delectatio

ne legat? Quis autem aut quotuſquiſque non dico ex communi hominum uita, ſed eorum qui ſe Philoſophos profitentur reperitur, qui tædio aduerſarum rerum, quibus aſſiduè, nunc undiquaque concutimur, affectus, ſententiã illam quam M. Cicero à Sileno profectam ſcribit, non continuo uſurpet? Aut non naſci, aut quàm citiſſimè aboleri optimum eſſe. Hanc uocem tanquam Ethnicam & rege Chriſtiano minime dignam, in pedum doloribus, quibus extremo ætatis ſuæ tempore, grauius nonnunquam excruciabatur MATHIAS Rex, ne ut antea ſolebat repeteret uſurparetúe, LIPPVS Diuina quadam ratione ar-

gumentis partim è philoſophia, partim ex medijs Theologiæ penetralibus deſumptis, prudenter perſuaſit. Ad hęc ne dolorem porrò in malis poneret, id quoque quanta grauitate ex adytis Stoicorum, qui dolorem in malis nō ponunt, quanta rerum præclariſſimarū copia (omnibus namq; modis fulciendi ſunt, qui ruunt, nec cohærere poſſunt propter magnitudinem doloris) quanta diſſerendi ſubtilitate, quo deniq; uerborum nitore ac elegantia id effecit quis non uidet? Profecto & ſi parum compertum habeam, quisnam ille LIPPVS fuit, niſi quis eū fuiſſe putet, cuius alicubi Pontanus meminit, qui rerum antiquarum ac

rum ac

ac Latini ſermonis impendio ſtu-
dioſus erat, quiq; cum paupertate
ſimul & cæcitate laboraret, utrun
que tamen malum ea æquitate fe-
rebat ut neutrum ſentire uidere-
tur. Fuit profecto uir ille quiſquis
is fuit, mira ingenij ac iudicij lau-
de præditus, & diſciplina exquiſi
tarum literarum eruditiſſimus, ut
qui tanto iudicio ac prudentia res
alioqui graues, & ab opinione ho
minū ne dum delicatiſs. Regum
auribus abhorrentes, lumine in-
terpretationis, atq; adeò Socratica
quadam lenitate ac lepore, ita illu-
ſtrauerit, ut communem ueterum
in hoc ſcribendi genere laudem,
citra controuerſiam aſſecutus eſſe
uideatur. Socrates dicebat ſe nul-

lam

Iam ei habere gratiam qui dediſſet pecuniam, ſed qui liberaſſet inſcitia. Quanta autem ei gratia debetur, qui ſplendore orationis & ſententiarum grauitate non inſcitia ſolum, ſed dolore affectionũ omnium quibus humanus animus ἄγεται καὶ φέρεται grauiſs . liberat? Huiuſmodi opinionibus à teneris ſi imbuti eſſemus, ferremus utramque fortunam maiori profecto cũ conſtantia & laude: Nunc Terentiani Pamphili inſtar, Omnibus nobis ut res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus. Habuit ſuperior ætas apud Italos multos uiros utriuſq; literaturę peritiſſimos qui libris in omni genere artium æditis, æterna nominis ſui monimenta

menta poſt ſe reliquêre, habuit & noſtra ætas ERASMVM illũ ROTERODAMVM, in nulla non re antiquis ſcriptoribus comparandum, aliosq; multos quorum Catalogum recenſere inſtar uoluminis eſſet. Quid mirum? Principũ liberalitate illorum ſtudia excitabantur, atq; ut quiſq; ingenio, eruditione maxime excellebat, ita ſummis & præmijs & honoribus à magnis uiris decorabatur. Quæ uirtus inter reliquas inclyti MATHIAE Regis popularis noſtri uirtutes, tanquã Smaragdus quidam in præcioſiſſimarum gemmarum aceruo enitebat, cui ſummo ſtudio fuit omnes uirtutes ſectari, ac ex multis unam quandam per-

fectam abſolutamq́ꝫ uirtutem reddere. Qui cum tot uarijs bellis diſtraheretur, doctiſſimos tamen quoſq́ꝫ uiros, immò quoſcunque dote aliquã ingenij uirtuteq́ꝫ nobilitatos uideret, in ſummo honore habuit, ampliſſimisq́ꝫ præmijs ornauit. Cuius rei præter inſignem Bibliothecam BVDAE in regia á ſe ædificata, erectam, quam ſelectiſſime, Græcis & Latinis Autoribus ex ipſa Aſia, Græcia, Italia undiquaq́ꝫ conquiſitis, non ornatiſſimam ſolùm, ſed etiam copioſiſſime omni librorum genere inſtructam, ſuperiorib. annis Aſiatica Barbaries deuaſtauit (me enim ante bienniũ diligenter eam perluſtrante, uix ulla priſtini ornatus

tus

tus ſi unum atque alterum autorem Græcum excipias illic extabant ueſtigia) teſtes ſunt tot doctiſſimorum uirorum lucubrationes ac uolumina, ex omnibus orbis partib. ipſi nominatim dicata ac inſcripta. Qui ad exemplum Alexandri, quem ſibi imitandum propoſuerat, non tam rebus præclare geſtis: quã humanitate, liberalitate, clementia ęternũ laudis ac iudicij teſtimoniũ cõſequi ſtuduit adeò ut nemo poſt Alexandrum, illud Homeri de Agamemnone melius uſurparit. (της.
ἀμφότερον βασιλεὺς τ᾽ ἀγαθὸς, κρατερός τ᾽ αἰχμη

Ergo uel ſola regis tam illuſtris tam bene de omnibus meriti immortalis gloria, quæ in hoc Libro aliquid

aliqua ex parte expreſſa continē-
tur, etiamſi argumenti præſtan-
tia & dictionis nitor non accede-
ret me commonere poterant ad
editionem maturandam. Cæte-
rum præſul ampliſſime, tu nobis
poſt reuerendum D. Laurenti-
um Præpoſitum Albenſem, inte-
gritate, uirtute conſtantia ſingu
lari uirum, auunculum meum de
me optime meritum, primus oc
currebas, (nam Reuerendiſſimū
D. STEPHANVM BRODERI
CVM Epiſcopum Vacienſem al-
terum Mœcenatem meum, fata
iniqua nuper nobis eripuēre) cui
hunc librum non incongrue nun
cupare, uel ob eam maximè cau-
ſam, quod uideris Regem MA-

THIAM

THIAM in hoc parte quodãmodo referre. Nam ut ille perſuaſus efficaciſſimis rationibus dolorem corporis leuius ferret, cruciatusꝗ in poſterum ne tu malis quidem poneret: ita in excelſa & inuicta animi tui conſtantia, quàm ex præclaris ſtudijs quibus æternis annis deditus fuiſti, tibi comparaſti, utramꝗ fortunam ſumma animi magnitudine ferre, indies magis ac crebrius delectare ſoles, dũ aduerſis rebus quas annis iam aliquot pertuliſti nõ frangeris, proſperis autem ita moderatè uteris, ut quamuis iam rurſus ad ſummum honorum faſtigium collocatus, atque propemodum in gradũ repoſitus ſis, faſtus tamen uſꝗ

adeo nihil accedit, ut ad reliquas uirtutes, quibus innumeris ornatus es magnũ incrementũ ingẽsq; facta ſit acceſſio. Siquidẽ hac tua ſingulari æquabilitate ac incredibili animi conſtãtia adductus prudentiſſimus Rex FERDINANDVS, te ſibi ut à conſilijs ſtatueret, operaq; tua arduis in rebus inq; Repub. conſtituenda honeſtiſſimè uteretur. Qua in re induſtriam tuam fœlicem ac labores, quos per hoſce annos in Regni Hungariæ amplitudine reſtaurãda & imperij dignitate augenda poſuiſti, quis non laudet? præſertim cum te uideat totũ in hoc occupatum ut Hungariam nõ tam inteſtinis diſcordijs labefactatã,

uerùm

uerum potentiſſimorum Princi-
pum bellis perculſam, Turcarum
immanitate, barbaraque feritate
proſtratam ſubleuares. Ad hæc
Proceres diſſidentes ad concor-
diam ac iucundiſſimam uitæ con
iunctionem reuocares, ut odio-
rum facibus depoſitis paceq́ con
ciliata in unum iam tandem no-
mẽ coirent, perficere quantum in
te fuit adnixus es. Admirabili e-
nim ſapientia tua perſpicis, quan-
ta ſeuiſſimo Chriſtiani nominis
hoſti, amiſſa Hungaria ad debel-
landas uicinas nationes feneſtra
pateat, ruere certè Hungaria non
poteſt, ut uicinæ Germaniæ Gen
tes eodem labefactatæ motu non
cidant. Hac tua præſtanti indu-

ſtria ac ſapientia qua difficillimis
hiſce Reipub. temporibus & ma-
ximis Hũgariæ periculis uſus es,
cum optimi quiq; incredibili gau-
dio afficiuntur, gratulantur, uir-
tutem laudibus efferũt, ac ſingu-
lari ſtudio in omni genere officij
quod ad amplitudinem & gloriã
tuam pertinere putant, certatim,
& pro ſe quiſq; declarare ſtudent.
Equidem ne officio deeſſem, nihil
prius mihi faciundum putaui, q̃
curare ut hac maxime in re, quam
te ab ineunte ætate ſtudioſe ſequi
intelligebam, & ex qua uera laus
naſci poteſt, animum meũ & uo-
luntatem honeſtiſſimo officio in-
cenſam probarẽ, nomenq; tuum
cum præclaris immortalitatis mo

nimen-

nimentis ad poſteritatem commendarem. Quod quidem rectè et commodè fieri poſſe putabam, ſi te nomini ac famæ tam magni & numquam intermorituri Regis coniungerem, librumq́ autoritate nominis tui decoratum in lucem emitterem. Equidem putabam hoc eſſe pulcherrimum munus & utiliſſimum, maximè conueniens, tum donanti mihi, tum accipienti tibi, qui arduis grauiſſimisq́ negotijs laſſatus, ad fugandam perturbationum illam molem, ad libros tamquam in portũ te conferre ſoleas, tum etiã ut ſtudia tua hac qualicunq́ acceſſione adiuuarem, & Bibliothecam augerem. Audiebã enim ab his qui

tibi propius noti ſunt, te doctiſſimorũ uirorum ſcriptis uſq; adeò delectari, ut nulla tam difficili occupatione detineri queas, quin ſe poſita aliquantiſper grauiſſimarum rerum cura, ad libros te reciperes, ſine quorum lectione, uix ullam diem ſineres tibi effluere. Huic rei non paruum profectò teſtimoniũ exhibet uita tua, cuius bonus odor in omnes latè diffunditur. Vt enim riuus fontem, fructus arborem, opus artificem: ita uita Chriſtianum hominem ceu Lydius lapis indicat, atque declarat. Sed iam ſentio me eſſe longius prouectum quàm propoſita ratio poſtularet, finem igitur faciam, ſi unum adiecero, me tui & eſſe

eſſe & fore ſemper ſtudioſiſſimū. Amplitudinem tuā CHRISTVS in multos annos incolumen conſeruet, cui me ut ſingulari ſtudioſorum Patrono diligenter commendo. Viennæ Calend. Auguſti. Anno Domini,

M. D. XLI.

REVERENDISSIMO D. NIcolao Gerendi Epiſcopo Tranſſyluano.

Magna olim fuerat CORVINO *cura* MATHIAE
Pannoniam libris accumulare bonis
Quod Ptolemeææ demonſtrant æmula thecæ
Scrinia ab hoſtili depopulata manu.
Magna illi fuerat doctis prodeſſe uoluptas,
Et regni uires hinc ſtabilire ſui.
Et tamen ingentis confecit munia belli
Nec timuit faſtus Barbare Turca tuos.
Quod paßim à doctis inſcripta uolumina monſtrãt
Quæ facti laudes huius & huius habent.
In quibus eſt LIPPI *doctißimus ille labor, qui*
Prodijt auſpitijs docte GERENDE *tuis:*
Quem latitare ſitu ulterius non paßus inerti,
MARTINVS *donat* BRENNIVS *ille tibi*

Io. Lud. Braſsicanus
I. V. Conſultus

LIPPI BRANDOLINI

IN DIALOGVM DE HVMANAE VITAE conditione, & toleranda corporis ęgritudine, Ad MATHIAM Coruinum illuſtriſsimum Pannoniæ ac Boëmiæ Regem, & ad BEATRICEM Aragoniam Illuſtriſsimam Reginam eius uxorem,

PRAEFATIO.

CVM in omni hominum genere Virtus amanda & magnifacienda eſt, tum in Principibus, & ſupræmæ fortunæ uiris eſt uel maximè ueneranda. Cæteri enim homines qui priuatã uitam ducunt, cum eorum cura non late pateat, neque ad multos pertineat, ſibi tantum aut paucis admodum, ſuo conſilio ac uirtutibus proſunt. Reges uerò & prnicipes, quos omniũ ſaluti conſulere, et uniuerſum Reip. corpus ſuis humeris ſuſtinere neceſſe eſt, quamplurimis ſuarum uirtutum fructum impartiunt, ſuamq́ induſtriam ad communem humani generis ſalutem atque utilitatẽ exponunt. Illi præterea inſtitutis tantum homines atque artibus iuuant, eoſq́ tanquam ex-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

humili loco præceptis adhortantur. Hij humanum genus non modo legibus ac præceptis inſtituunt, uerum etiam tanquam ex altiſsima uitæ ſpecula. proprijs ad benè beateq; uiuendum exemplis incendunt. Nam ut uitia ita uirtutes, in Principibus maximè elucent, adeo ut propter altiſsimum in quo ſunt conſtituti dignitatis gradum, minima quæque ac tenuiſsima uirtus, maxima in illis, & clariſsima uideatur. Huc accedit quod pauci admodum hoc tempore Principes reperiuntur, qui uirtutes & bonas artes, aut ipſi habeant, aut in alijs probent. Quod ſi qui ſunt, illi profectò ſummis laudibus efferendi, & propè numinum loco in terris colendi ſunt. Si cuius autem Principis hoc tempore uirtus honore aut laude aliqua digna eſt: tua profectò incredibilis ac diuina uirtus MATHIA præſtantiſsime, tua, inquam uirtus & ſapientia omni non modo laude, uerum etiam ueneratione atque admiratione digniſsima iudicanda eſt. Nam ut genus et maiores tuos Romanam illam nobilitatem atque antiquitatem referentes omittam, quorum ſplendorem tu non modo conſeruaſti: ſed ampliſsime, quoque auxiſti, ut taceã quanto labore, quanta uirtute regnum tibi ampliſsimum comparaueris: quibus uirtutibus, quo ingenio, qua modeſtia, qua manſuetudine partum non retinueris modo, ſed longè etiam lateq́ue propagaueris. Tu

tuis

tuis innumeris diuiniſq; uirtutibus, toto terrarum orbe nomen tibi ampliſsimum & immortalem gloriam comparaſti. Tu enim unus Regum ac Principum omnium, militaris diſciplinæ ſciéntiam tantam habes, ut non modo noſtris, ſed ueteribus quoque Ducibus atque Imperatoribus poſsis, non dico conferri, ſed magna etiam ex parte præferri. Tu tantam in ea re auctoritatem tuis maximis rebus geſtis es conſecutus, ut non modo præſentiam tuam, ſed tuum quoque & tuæ gentis nomen, etiam apud remotiſsimas ac bellicoſiſsimas nationes, terribile ac formidoloſum reddideris. Eas res geſſiſti, quarum fama totum terrarum orbem compleuerit. Ea uerò manſuetudine atque humanitate præditus es, ut tibi non minus beniuolentiæ, apud omnes nationes manſuetudo, quam terroris tui nominis auctoritais comparauerit, ita ut quantum te omnes metuunt ob uirtutem, tantum ob humanitatem amare compellantur. Quid de liberalitate aut magnificentia dicam tua, cuius tam multa, tamque inſignia exempla paſſim uideo, ut mihi tu non unus Rex beneficus ac liberalis eſſe, ſed omnium Regum, ac Principum liberalitate, & benificentia uti uidearer? Ita ut quum tui regni opes mecum reputo, uix te ſatis copiarum ad id tuendum habere arbitrer. Quum tuam contra in omnes homines munificentiam uideo,

te unum omnium Regum, ac nationum opes & copias ſortitum eſſe exiſtimem. Optimarum uerò artium ſtudia, liberalesq́; diſciplinas tanto ſtudio atque amore complecteris, ut ad te unum omnes ex uniuerſo terrarum orbe tanquam ad aſylum quoddam conuolaſſe, & commigraſſe uideantur, Quum enim tu in illis excellere pulchrum & amplitudine Regia dignum exiſtimaueris, præſtantes etiam in illis uiros maximis ornamentis afficere, & ingentibus ad te præmijs allicere atque aduocare non dubitaſti. Quibus rebus effectum eſt ut, & quæ uigebant in aliqua orbis parte diſciplinæ, tua munificentia maiorem inmodum extollerentur, & ſi quæ adhuc neglectæ atque incognitæ latitabant, tua opera in lucem redirent. Acceſsit ad has laudes tuas BEATRIX uxor optima & doctiſſima, tuiſque moribus omni ex parte ſimillima. Quæ quidem cum Rege optimo, uirtutumq́; omnium amantiſſimo exorta ſit, tum paterna educatione, tum imitatione tui, eo uirtutis, claritatisq́; proceſſit, ut ſui penè ſexus oblita, tuas uirtutes, ac res geſtas emulari ſtudeat. Quaquidem in re tu quoq; maximam es laudem aſſecutus, qui eam & tam ſapienter elegeris, & tam aptè tuis ſtudijs accommendaueris, Quæ quum ita ſint, conuertiſtis uos quidem ambo, omnium in uos Regum ac nationum oculos, omnes mortales ad ueſtrarum uirtutum admirationem &

uenerationem concitauiſtis:ita ut tum gloria rerum geſtarũ, tum hominũ beniuolentia (quod optimum imperandi genus eſt) totum pene terrarum orbem complexi ſitis. Ego quidem quũ antea ſemper ita uos dilexi,ita ueſtri nominis ſtudioſus fui,ut cuperem de uobis aliquid ſcribere, & incredibilis uirtutes ueſtras,quibuſcunq́ poſſem literarum monumentis commendare,tum uerò poſtq̃am tantarum laudum fama compulſus in ueſtrum regnum, ueſtri ſalutandi gratia ueni,cum multo plura de uobis et maiora quàm audieram re ipſa comperiſſem, continere me nõ potui, quin hunc meum erga uos animum aliquo teſtimonio declararem. Quum autem aliquid hoc tempore ad uos ſcribere decreuiſſem, ab eo potiſsimum incipere uolui, quod eſſet & ueſtrum utrique acceptiſsimum,& à mea grauitate minimè alienum.Itaq; quum tu proximis his diebus præſtantiſſime Rex,grauius ſolito ex pedibus laborares,atque ad id etiam Tertianæ facta eſſet acceſſio, cumq́ ea res aliquamdiu meũ ad te aditum,& ſalutationem retardaſſet, digna mihi uiſa res eſt,quam & ego quantum poſſem oratione,& conſolatione lenirem, & uterq; ueſtrum non inuitus audiret. Videbam enim Reginam uxorem tuam non minus, atq; haud ſcio an etiam magis,quam teipſum, de tua ualetudine anxiam & ſollicitam eſſe.Scripſi itaq; his diebus librum,in quo ſum utrumque ueſtrum non

ſolum de corporis ægritudine:ſed de uniuerſa quoque humanæ uitæ conditione conſolatus. Quoniam autem, et diſputatio iucundior, et conſolatio efficatior eſſe ſolet, cum allatis utrinque Academico more rationibus uerũ ipſum peruestigatur, & quaſi è tenebris ipſis eruitur, ut ſermo coram & tanquam ad præſentes haberi uideretur: Petrum Ranſanum Epiſcopum Lucerinum, Ferdinandi Regis apud uos Oratorem, grauiſſimum atque eloquentiſsimũ uirum, uobiſcum introduxi, hac de re diſputantem: Quia nulla uidebatur aptior perſona, quæ de Humanæ uitæ conditione, & de corporis ægritudine diſputaret quamuis, qui, & in omni diſciplinarũ genere peritiſsimus haberetur, & diu in omni uitæ uarietate uerſatus, plurima etiam experimento didiciſſet. Hunc autem librum utriusq; ueſtrũ nomini dedicaui, nam & cauſa mihi utriq; communis uidebatur, & uos qui in uirtutibus, in amore, in uita, in animo coniuncti eſſetis, non exiſtimaui debere in meis ſcriptis eſſe diſiunctos. Accipietis itaq; hunc librum ut primum animi teſtem atque indicem erga uos mei: Ita uerò legetis, ut Petrum in eo non me loqui arbitremini. Fiet enim hac opinione ut & librum fortaſſe libentius legatis, & quæ in eo dicuntur, utpote ab homine doctiſsimo dicta, ueriora grauioraq; exiſtimetis. Ego quidem ſi uobis aliqua exparte ſatisfactum eſſe intellexero, & me ſatis magnum

mearum

mearum lucubrationum fructum percepiſſe ex
iſtimabo, & alacrior ad alia conſcribenda
efficiar Sed uos iam Petrum ipſum
loquentem audiatis.

LIPPI BRANDOLINI DIALOGVS DE HVMANAE VITAE *conditione, & Toleranda corporis ægritudine, in quo* MATTHIAS Rex, BEATRIX Regina *& Petrus Epiſcopus Lucerinus, loquentes inducuntur.*

PETRVS.

VEREOR *ne aduentu meo perturbam Sermones ueſtros, qui grauius fortaſſe aliquid & ſecretius colloquimini. Ego uerò (ut Flacci uerbis utar) in publica, commoda peccem, Si longo ſermone morer tua tēpora Cæſar.* MATTH. *Immò uerò tuo aduentu* Petre, *et ſermones noſtros confirmas, & nos ambos (ut tibi etiam pro uxore reſpondeam) maiorem immodū recreas. Nam quū ob ipſam diei obſeruationem, quæ nobis diuino inſtituto, ſeptimo quoque die ad quietem eſt tradita, tum ob hanc meam pedum ægritudinem, quæ me ſolito grauius uexat, otioſi ſumus, atq; hac ipſa de*

re

re nunc maximè colloquentes, in eum forte ſermonem incideramus, ut humanas miſerias deploraremus, quæ nobis tam multæ ac tam magnæ uidebantur, ut non dubitaremus id prope affirmare, quod nonnulli etiam celebres Philoſophi putauere. Optimum eſſe homini aut non naſci, aut quàm celerrimè aboleri. PET. Adeo ne tibi Rex ualitudo grauis eſt tua, ut ex te omnes homines iudices, & quod de te ipſo ſentis, de uniuerſo humano genere ſentire non dubites? Memento te et Chriſtianum, & Regem, & Mathiam eſſe, qui & ſapientia cæteris antecellas, & Chriſtianam religionem armis defendere cõſueueris. MATTH. Abſit ut ego quicquam non modo dicam, uerumetiam cogitem, quod à Chriſtiana ueritate abhorreat, pro qua uitam ipſam profundere pulcherrimum ducerem. Sed tanta eſt interdum uis morbi (quod mihi proximè accidit) ut opprimar & uix reſiſtam dolori, quo mihi iucundior atque optabilior eſt aduentus tuus, qui me & labantem confirmare, & mœrentem conſolari tua oratione & ſapientia poſſis. Nam quum propter ea quæ ipſe de tuo ingenio ac doctrina ſæpenumero uidi, tum ob ea quæ ex uxore audiui, cu

pio equidem, & iampridem cupio te aliqua de re audire diſputantem, atque his maximè de rebus, quæ poßint nos non ſolum in præſentia delectare, ſed alacres quoque in poſterum ad ferendam ægritudinem reddere. Credo hoc etiam uxori quæ meo dolore mœret non iniucundum fore. BEAT. *Mihi uerò coniunx hoc tam gratum erit, quàm quod gratißimum. Nam & de te ut debeo anxia & ſollicita ſum, quem non ut uirum amo, ſed ut parentem alterum obſeruo ac ueneror, & Petrum ipſum audire ſummoperè aueo, quem iamdiù per tuam iſtam ualitudinem audire non licuit, quamquam tu & eius copioſißima atq; elegantißima ſcripta, quibus omniũ ſæculorum Regum ac nationum res geſtas, memoriæ mandauit, ut exiſtimo legiſti. & eum in ipſo legationis munere, quo apud te aliquot iam annis patris mei nomine fungitur, ſatis expertus es, tamen eum nobis hodie oblatum eſſe, quem audire poßimus de rebus grauißimis diſputantem, maiorem im modum gaudeo, ut & nos ambos ſua oratione conſoletur, et opinioni quam tu de eo ex meis potißimũ uerbis concepiſti, cumulatè reſpondeat. Augebit, mihi crede, ſua præſentia, et meam prædicationem*

&

& expectationem tuam. Gratiſſimum igitur ambobus feceris Petre (*ut tibi etiam pro* Rege *promittam*) Si *de hoc toto* Humanæ *conditionis genere, copioſè ut ſoles, ornatèque diſputaueris, noſq́; ad omnem corporis ferendam ægritudinem, tua oratione cõfirmaueris, ut et ego ſim poſthac ad meas, ſi quæ acciderint ægritudines tolerandas paratior, & eum quem ex* Regis *ualetudine capio dolorem, aut magna ex parte deponam, aut æquiore certe animo feram.* Nam *tametſi pro mea in* Regem *ſingulari beniuolentia, incredibiliq́; obſeruantia, tu te id exiſtimare ſatis potes, tamen mihi affirmanti credas uelim, me non minus de eius ualitudine laborare, quàm ipſum de ſua.* Regem *uerò ſi hac moleſtia liberaueris, magno tibi beneficio in perpetuum deuinxeris.* MATH. *Eſt ita ſanè ut dicis uxor, proinde niſi quid forte aliud negocij grauioris te huc adduxit* Petre, *quando & res utiliſſima eſt, tuaq́; doctrina digniſſima, & nos ocioſi ſumus, conſide ſi placet, & utriq́; noſtrum in re honeſtiſſima morem gere.* PET. *Mihi quidem nihil gratius aut optabilius poſſet accidere, quam ut ueſtris commodis inſeruirem, uobiſq́; aliqua in re gratificarer, qui-*

bus dignitatẽ meam omnem ſalutemq́; debeo, neq; uobis dare quicquam ſed referre, immò à uobis accipere ipſe ingens beneficium uiderer, cum uobis aliquid quod acceptum eſſet præſtitiſſem. Præſertim quum & uos hoc magnopere deſiderare intelligam, & ego ſim ocioſus, atque ad uos, ob hanc ipſam Regiæ ualitudinis cauſam, ſalutandos uenerim. Sed & res ipſa per ſe difficillima eſt, quippè quæ aduerſari ſenſibus, & naturæ quodammodo repugnare uideatur, & ego ad eam rem imparatus acceſſi. Neque uos mea confirmatione indigetis, qui ueſtra ſapientia non modo ueſtro dolori reſiſtere, ſed alios quoq; confirmare poßitis, tamen ne uidear aut ueſtris præcibus obſequi, aut ueſtro imperio obtẽperare noluiſſe, uobis inuitantibus aßidebo libens, quando id & ætas et corpulentia mea poſtulat, & dicam ea de re ut potero, ueſtra magis auctoritate, quàm doctrina mea fretus. Nam quod mihi tantùm tribuitis, quantùm ego uix unquam optare, ſperare certè nunquam ſum auſus, facitis id quidem uos ex abundantia quadam humanitatis ueſtræ, ſummæq́; erga me beniuolentiæ, cuiquidem non aliquo ſaltem, uel tenui officio reſpondere, tur

pè

pè admodum mihi atque indignum putarem. Dabo igitur operam, ut me imperitiæ potius quàm ingratitudinis, accuſare poßitis, & quicquid hac de re in memoriam uenerit, neſcio quam benè, certè breuiter. et ut poterò dilucidè explicabo, uos modo animum parumper aduertite, & aures mihi non attentas modo, ſed æquas quoque propitiaſq; præbete, ut ſiquid aut erratum à me, aut præteritum fuerit, uel emendare, uel in memoriam redigere non graue mini. Nam Græcorum olim propria fuit iſta conſuetudo, ex tempore de quauis propoſita materia diſſerendi: quæ à Gorgia Leontino primũ inuenta, manauit per Græciã poſtea latius, nos eam minus frequentauimus. Placet autẽ mihi hoc maximè tempore, et in hac potiſſimũ quæſtione morẽ illum ſeruare diſputandi, quẽ Plato et uetus Academia à Socrate acceptũ diu tenuit, intermiſſum uerò aliquanto poſt Arceſilas reuocauit, ut ad utramq; partẽ diſputemus, quo facilius percontando reſpondẽdoq; ex ipſis utrinq; allatis rationibus ueritas eluceſcat. Præſertim quũ et ego mihi nihil arrogẽ, et uos ſapientiſſimos eſſe ſciã, neq; igitur graue uobis erit, ſi quid interrogati fueritis reſpondere, neq; ſiquid dubitabitis

bitabitis interrogare. Siquid autem ex ijs quæ à me dicentur parū probabitis, liberè id cōſtanterq́; refellendi poteſtas ſit. Ego enim ut certū apud uos præſertim nihil aſſeram, ſententiam tantū meam exponam, et affirmandi arrogantiā uitabo, quæ à ſapiente diſsidet plurimū, uos non expectato fine orationis meæ, ut quicque maxime probabitis ita primum concedetis, quæ uerò uobis minus probabilia uidebuntur, è ueſtigio refelletis. MATH. *Age ſanè ut libet, nos tibi ut uoles, obſequentes erimus, modo nos hac moleſtia liberes.* BEAT. *Immò uerò hoc malo. Nam moleſtiæ leuiores ſunt.* PET. *Quid tu hoc malum uocas Regina?* BEAT. *Quid ni uocem cum corpus pariter animumq́ue debilitet?* PET. *Quā rectè id facias poſtea uiderimus. interea Horatianū illud ambo mementote, Durū, ſed leuius fit patientia. Quidquid corrigere eſt nephas.* MATH. *Ego quidem Terentianū illud magis memini. Facile omnes quum ualemus, recta cōſilia ægrotis damus, Tu ſi hic ſis aliter ſentias.* PET. *Profectò neq; ego ſi iſtic eſſem aliter ſentirē, neq; tu paulopòſt aliter ut ſpero ſenties. Illud interim mihi reſponde quod initio dicebas: Vtrum exiſtimes homini optimū eſ-*

ſe,

ſe, aut non naſci, aut quàm celerrime extingui? MATH. *Equidem ſi liberè loqui liceret, ita putarem.* PET. *Cur non liceat?* MATH. *Chriſtiana me auctoritas prohibet.* PET. *Vtrum tandē Chriſtianos* Theologos *cenſes aliqua ratione ut hoc dicerent eſſe adductos? an omninò nulla?* MATH. *Aliqua profectò illis fortaſſe probabili, alij minus ueriſimili, mihi certè incognita.* PET. *Ne igitur de re incognita iudicium feras: poteris enim eam quum audieris, tu quoque fortaſſe non improbare. Sed de illorum ratione paulopòſt diſſeremus, Fingamus interea nullam eſſe quæ id ſuadeat rationem, & libera cogitatione quo uolumus peruagemur. Quæro igitur abs te:* Primū *ſi quid uelis loqui non liceat, quis te id ſentire prohibeat? quum tuam ſententiam reprehendere, quia nō proferas, nemo poſſit, quia* Rex *ſis nemo audeat, deinde ſi boni uiri eſſe non putas aliter ſentire, aliter loqui, neq; uis committere ut teipſum potius fallere uideare, quæro an ita maxime ſentias?* MATH. *Equidem quū innumerabiles hominum miſerias mecum reputo, ita planè ſentire compellor.* PET. *Quare obſecro ita ſentis? niſi moleſtū eſt explica mihi.* MATH. *Quaſi*

ſi uerò id explicare difficile ſit, quia naſcimur in plurimas, maximas ſempiternasq́; miſerias. PET. *Quas iſtas?* MATTH. *Rogas? homo primum è materia uiliſsima conceptus, antequam naſcatur, decem menſium tenebris, uinclisq́; coërcitus, iam tum carcerem pati diſcit, effuſus deinde non ſine maximis matris doloribus, humiq́; abiectus, nudus atque inualidus, à lachrymis uitam auſpicatur iterum: deinde in uincula coniectus, non fermè antebimatum ſui compos efficitur, & ſibi quoadmmodo redditur, ac ne tunc quidem potens aut ſui ſatis compos, pueritiam totam inualidus atque iners, & linguæ pariter rationisq́; expers, partim inter mulierum manus, partim inter pædagogorum iurgia & plagas agit. Inſpice deinde ſingulas ætates, ſingula uitæ genera, quàm multa, bone Deus, ab omnibus partibus pericula, moleſtias, labores, miſeriasq́; inuenies, quàm ſæpe uiuentes morimur, morientes uiuimus, quanta uerò in noſtris corporibus imbecillitas? Cæteris animantibus* Natura *ſuum cuiq́; naſcenti amictum dedit, paſtum & latibula ſine labore, ſine cura paſsim expoſuit, ſoli nos nudi, ut modo dicebam geniti, & frigoris calorisq́; impatientes,*

tes, alieno uelamine operiamur, domos edificemus, uictum è terra colendo ſerendoq́; eruamus neceſſe eſt. Quæ quidem omnia quantis laboribus, periculis, incommodisq́; parentur, nemo eſt qui ignoret. Age uerò quàm miſera illa ſunt, & quàm moleſta quorum cauſa tantopere laboramus? bis in die cibum capere, indui, exui, cubare, ſurgere, lauari, radi, aluum exonerare, ſpuere, emungi, & cætera eius generis, quæ tam moleſta quam quotidiana ſunt. Iam uerò multa morborum milia quibus humana uita obnoxia eſt, & innumerabiles nobis erumnas et miſerias afferunt. Non'ne *cum ipſis penè hominibus morbi naſcuntur? eoſq; per ſingulas ætates cateruatim proſequuntur. Quid ſenectus? in qua tanquam fructus laborum quies aliqua expectatur, quàm ægra? quàm imbecilla? quàm effœta? quàm difficilis? quàm omnium incommodorum, omnium morborum miſeriarumq́; plena? quàm omnibus malis circumfuſa? Quis porrò dolor in morte? Quis horror? Quis metus eius? quàm triſtis eius cogitatio? quàm formidoloſa? quàm moleſta expectatio? quàm terribilis? quàm ſæuus aduentus?* Ita ut eam *Ariſtoteles Philoſophorũ (ut uos exiſtimatis) Prin*

ceps, ultimum terribilium appellare non dubitet. Quàm multa uerò eius genera? ita ut omnibus tibi locis temporibusq́; inſperata atq; improuiſa accurrat. At eſt poſt mortem quies aliqua finisq́; miſeriarum. Omitto quàm multi Philoſophi animas cum corporibus interire, atq; omnia morte deleri exiſtimauerint. Omitto quàm multi aut uagas incertasq́; ferri, aut in omnium paßim animantium corpora, ſine fine migrare affirmauerint. Quæ ſi uera eſſent, noſtras maiorem immodũ miſerias augerent. Sed animas immortales eſſe, & ad infinitam illam æternamq́; beatitudinem, quam omnes optamus aſpirare, & credo & fateor. Quota obſecro illarũ pars eſt, quæ illuc queat peruenire? Non'ne etiam Saluator ille noſter et unicus noſtri nominis auctor CHRISTVS *in Euangelio, multos quidem uocatos. paucos uero electos eſſe teſtatur? Quid cæteræ quàm innumerabiles ſunt, non'ne in æternas apud inferos pœnas relegantur? At facile credo eſt illas declinare, immò ita difficile, ut uix id quiſquàm aſſequi poßit: tam multis enim uitijs, tam multis uoluptatibus circumfuſi, tam multis deniq; ſenſuum, & cupidinum laqueis implicititi atq; irretiti ſumus,*

ut eos

eos euadere aut nemo, aut quàm pauciſſimi queant. Quæ quum ita ſint, cur hæc magnopere ſit optanda uita non uideo. Thraces quidem & aliæ ex his quas uos Barbaras appellatis nationes permultæ, naſcentes luctu & lachrymis: morientes contrà riſu & cantibus proſequebantur, rati alteros in ſempiternas miſerias deuenire, alteros à miſerijs ſempiternis diſcedere. Quaquidem in re, uidentur illi mihi & Græcis, & Romanis ſapientiores extitiſſe. Sed tu fortaſſe me, utpote Barbarũ, illorum mores probare exiſtimas. PET. *Apageſis optime Rex quaſi uerò natio non mores Barbarum faciant, aut (ſi gentis nomen deſideratur) tu non multò plus Romanæ illius nobilitatis habeas, qui Coruina uetuſtiſſima nobiliſſimaq́; familia ſis oriundus, quàm illi qui Romæ hodie nobiliſſimi appellantur, qui à Gothorum, aut Longobardorum, aut Germanorũ reliquijs, orginẽ ducunt. Sed miſſa hæc obſecro faciamus, tu uerò perge ſi placet, tuam iſtam ſententiam (ſiquid adhuc ſupereſt) explicare.* MATH. *Hæ igitur atq; aliæ innumerabiles cauſæ, (nam omnes quidem perſequi infinitum eſſet) me in hanc potiſſimum ſententiam adduxerunt. Nam ſi neque*

naſcentes, neq; dum uiuimus, neq; poſtquàm exceſſimus è uita, uacare perpetuis malis ac miſerijs poſſumus, quid tandem eſt, cur uel in eam uenire, uel in ea diutius eſſe uelle magnopere debeamus? Non'ne eorum longe melior eſt conditio, qui hæc mala uel nunquam ſenſerunt, uel quàm ocyßime finire potuerunt? Eſſet igitur homini mea quidem ſententia optimum non naſci, aut (ſi id fieri non poteſt) in hac uita quàm breuißimè commorari. Hæc, tua interrogatione incitatus dixi breuiter, magis audirem contra grauiter, copioſeq; diſputantem, quàm quod ego ita ſentiendum eſſe crederem. Nam non ſolum quia Chriſtianus ſum cupio in tuam ſententiam traduci, ſed etiam quia homo ſum, qua conditione nullam eſſe meliorem, mihi abs te perſuaderi gratißimum eſt, credo item uxori, quæ præter cæteras mulieres pietati ac religioni ſtudet, non iniucundũ fore. BEAT. *Mihi uerò Rex quanquam ueriſimilima uiſa eſt oratio tua, gratißimum tamen erit, Petrum contra diſſerentem audire, ut collatis utriusq; ueſtrum rationibus, quid ſentiendum ſit, facilius & clarius eluceſcat. Proinde nos Petre, ſi potes, è tantis miſerijs, tua ſapientia atque eloquentia libe-*

ra.

ra. PETR. Dici non poteſt Rex, quàm ſim tua oratione delectatus, non modo quia ſunt abs te permulta de noſtræ naturæ fragilitate, grauiter copioſeq; tractata, ſed quia ſunt etiam latinè eleganterq; dicta: Reuocaſti autem me maiorem immodum, ad noſtræ mortalitatis contemplationem. Quamquidem ſi nobis ante oculos ſæpenumero proponeremus, profectò non in tantam ueſaniam atq; inſolentiam raperemur, non in tam multos ac tam manifeſtos errores, et uitia quottidie dilaberemur, non tantum auaritiæ, ambitioni, libidini, cæteriſq; pernitioſiſſimis cupiditatibus incumberemus. Neque uerò facile eſt ita ueriſimiles, & ita naturæ conſentaneas rationes, confutare, præſertim quum tam aptè diſpoſitæ abs te, & collocatæ fuerint, ut loco dimoueri uix queant. Eſt enim mihi omnis ferè oratio contra ſenſus ſuſcipienda, quibus quidem contraria eorum quæ ipſi iudicant perſuadere, eoſq; de opinione depellere, & de ſuo quaſi gradu deturbare difficile admodum, & laborioſum eſt. Tamen ut tuæ morem geram uoluntati, qui me in hoc certamen compuliſti, neque uidear primo impetu cedere ſimul, ut mœrentem animum tuum aliqua conſo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

latione permulceam, experiar quid contra tuam iſtam rationem dici poßit. Neq; *(ut uel Stoici ueteres faciebant, uel penè omnes noſtri temporis* Philoſophi *ac* Theologi *faciunt) te arctißimis illis* Dialecticorum *laqueis, anguſtijsq; concludam.* Circularium *enim (ut ita dicam) eſt iſta ratio* Philoſophorum, *& de dignitate non de ueritate certantium, ſed uetere illo atque oratorio more ſi placet tecum agam: ſinamq; ut latius quocumque uidebitur, pro ſua conſuetudine euagetur oratio, neq; uerò omnia quæ dici ſolent à noſtris tanquam ſcolam aliquam recitaturus conſectabor.* Nō *enim ut* Philoſophus *aut* Theologus *huc acceßi, ſed ea potißimum tibi in memoriam redigam, quæ ad te conſolandum maximè accommodata eſſe exiſtimabo.* Quam *quidem ad rem illud me magnoperè adiuuabit, quod tu poſtremo loco dixiſti, te non inuitum in noſtram ſententiam eſſe uenturum.* Nam *& ego aduerſus obſtinatos animos, proficere mea oratione nihil poſſem, et tu quum* Chriſtianæ *ueritatis inuictus propugnator ſemper fueris, tibi ipſi repugnare, & contrarius eſſe uidereris.* MATH. Non *erimus in noſtra ſententia pertinaces, ſed tibi & libenter, &*

facile

facile aſſentiemur, tu modo & ea dicas quæ leuare aliqua ſaltem ex parte dolorem noſtrum queant, et iſto potiſsimum quo pollicitus es modo dicas. PET. *Ita faciam. Primùm igitur hoc mihi reſponde, putas ne omnibus qui unquam uixerunt hominibus, æque utile futurum fuiſſe non naſci?* MATH. *Ego quidem ſic puto.* PET. *Quid? illos quos nos diuinis honoribus conſecratos, æternam beatitudinem adeptos eſſe credimus, & uſitato uocabulo Sanctos appellamus, cenſen' tu beatos eſſe?* MAT. *Quid ni cenſeam.* PET. *Eos ne igitur tu, ſui ortus aut uitæ putas pœnitere?* MATH. *Minime uerò.* PET. *Vtrum tandem illis utilius putas futurum fuiſſe, in has quas tu miſerias appellas non ueniſſe, an ita ueniſſe, atque ita uixiſſe, ut ſummam ſint beatitudinem conſecuti?* MATH. *Ne me adeo ſtultum aut imperitũ putes, quam uis ſim apud Iſtrum, non apud Tybrim educatus, ut de iſto audeã dubitare.* PET. *Vides igitur, non omnibus æque conducere, in hanc lucem non uenire.* MATH. *Iſtos uerò, ego quidem ſemper exiſtimaui fœliciſsimos, & extra humanarum miſeriarum omnium ſortem poſitos. Sed omitta nus illos, quos non immeri-*

to & deos & ſanctos appellamus, de hominibus ac noſtri ſimilibus diſputemus. PETR. *Quaſi uerò illi, homines & noſtri ſimiles non fuerint.* MATH. *Fuerunt quidem, ſed à* Deo *multò antè in hanc fortunam delecti, & (ut uos loqui ſoletis) prædeſtinati.* PET. *An illos ſolos delectos, cæteros, qui tot iam ſæculis nati atque in poſterum naſcituri ſunt, contemptos à* Deo, *& abiectos eſſe cenſes? Quis hoc obſecro* Rex *aut etiam* Tyrannus, *inter homines faceret, ut paucos admodũ ſibi ſubditos tueretur ac regeret, cæteros omnino deſpiceret ac pro nihilo putaret? Quis obſecro paterfamilias liberorum alios hæredes inſtitueret, alios ſine cauſa domo eijceret, atque abdicaret?* Nullus *eſt adeò negligens aut malignus paſtor, qui ouium alias paſtum ducat, alias domi atq; in ouili ieiunas remanere patiatur. Iam uerò quæ tam ſæua, tam immanis fera eſt, quæ non omnes catulos eodem modo foueat, amet, ac nutriat.* Deum *'ne, obſecro, aut peßimo tyranno, aut iniquißimo patre, aut paſtore inertißimo, aut ſæuißima fera iniuſtiorem, aut ſæuiorem poſſumus exiſtimare? qui homines, qui ei multo magis quàm parentibus liberi, aut quam ipſi ſibi cari*

ſunt

unt, deſertos ab ſe, poſtquam creati ſunt, & quaſi perditos eſſe patiatur. Fieri mihi credite nullo pacto poteſt, nulla hoc ratio perſuadet, nulla pietas, nulla humanitas patitur. Quod ſi hoc minime conſentaneum eſt, immò ita à diuina natura alienum, ut incredibile prorſus, & impoßibile ſit, ab Deo alios diligi ac foueri, alios contemni ac deſeri. non'ne tu quoque potes, ad eandem quàm illi ſunt conſecuti beatitudinem peruenire, eodemq; modo immortalis im mò etiam Deus effici? Quod obſecro tribuit illis Deus, quod idem tu quoque aſſequi non poßis? Non'ne illi mortali ſemine concepti, eodem quo tu modo nati, & educati ſunt? Non'ne eundem quem tu et cæteri homines uitæ curſum tenuerunt? Non'ne eaſdem quas tu ſummas miſerias uocas, immò etiam (ſi uerum fateri uolumus) multò maiores grauioresq; pertulerunt? Pleriq; enim illorũ, aut in altißimas ſe ſolitudines ultro abdentes, aſperrimo quodam, atque incredibili uitæ genere, ſe ipſos diutißimè excrutiauere, aut hoſtibus Chriſtiani nominis, ſe excruciandos, uarijs atq; exquiſitis tormentis obiecêre. MATH. At illis inuictam quandam patientiam & conſtantiam Deus ipſe ſuppeditauit.

ditauit. PET. *Tibi uerò cur non eandem, aut etiam maiorem poſſit idem Deus ſuppeditare? Nonne idē qui ſemper fuit eſt Deus? Non'ne tanti te, quanti illos facit, aut etiam pluris? Facit te certe quum Rex ſis, et cæteris hominibus præſis, multo pluris. Cor enim Regis in manu Dei eſſe dicitur, & ipſe Reges haud dubiè Chriſtos ſuos appellat. Saulem certè et Dauid primos Hebræorum Reges, ipſe à paſtoritia ad Regnum tranſtulit. Quod ſi hoc illis priuatis atq; obſcuris hominibus contulit ut regnarent, tu te Regem & multos iam annos iuſtiſſimè regnantem, ab eo ſeruatum atque adiutum iri non putas? Num igitur illos cenſes qui è paſtoribus Reges effecti ſunt, & res domi foriſq; clariſſimas geſſerunt, ſui unquam ortus aut uitæ pœnituiſſe? Sed Hebræi tibi quaſi à Deo delecti non placent, illos tibi puto commemorari magis cupis, qui à Deo delecti fuiſſe non uidentur, quos uulgus Gentiles Paganosq; appellat. Quem eorum cenſes, qui clari aliqua de cauſa extiterunt, ſe non natum eſſe maluiſſe, immò quem non putas, uitam ſibi ſi potuiſſet in inmenſum prorogare ſpatium uoluiſſe? Vis incipiam à Tanao antiquiſſimo Scytharū Rege? à quibus hæc tua*

Hunnorum

Hunnorum natio ducit originem: non'ne is quum Aſiam omnem armis ad Aegyptum uſq; ſubegiſſet (quod nemini ante illum contigerat) uitam quã breuiſsimã eſſe cognouerat, rebus egregiè geſtis extendere, et gloria ſui nominis quam longiſsimã efficere cogitabat? An is tibi uidetur etiã ſi potuiſſet maluiſſe eſſe non natus, quàm per illas quas tu paulò antè memorabas miſerias, eam quã eſt adeptus gloriã ſibi cõparaſſe? Quid Ninus. *Aſſyriorũ* Rex? *qui magnam* Aſiæ *partem in ditionẽ redegit. Atq; ut barbaros omittamus quid* Philippus, *quid* Alexander Macedonum Reges? *quorum alter* Græciam *alter* Aſiã *uſq; ad* Indicũ Oceanũ *ſuo ſubiecit* Imperio. Quid Themiſtocles, Quid Leonidas, *quid* Epaminundas, Quid *cæteri* Athenienſium, Lacedemoniorum, Thebanorum, *& totius* Græciæ Principes, *qui maximam ſibi bello & armis gloriam comparauere?* Ortum'ne *aut uitam ſibi inutilem, aut iniocundã exiſtimaſſe credendi ſunt?* Non'ne *omnes ita uixerunt, ut non modo ſe uiuere lætarentur, uerumetiam ut quàm diutiſsimè etiam poſt mortem eorum nomen, & gloria uiueret, ſummos labores et pericula pertulerunt?* Alexander *quidem qui pro-*

pter

pter res geſtas magnus eſt appellatus, ſe non ſolum natum eſſe gloriatus eſt, ſed Ioue quoq; natum eſſe uoluit exiſtimari. Quid dicam de noſtris? Quorũ egregijs rebus geſtis, & Græcorum & noſtrorũ hiſtoriæ, pleniſsimæ ſunt. Quæ uis Romulum ad condendam urbem, & finitimos armis debellandos compulit? non'ne ingens quædam atq; inſaciabilis gloriæ uitæq; cupitas? Non'ne ſe & Marte genitũ, & ad Deos translatum, ab omnibus credi uoluit? Quod ſi ſui eum natalis pœnituiſſet, deum ſuæ ori ginis auctorem nõ feciſſet. C. quidem Cæſar quũ Iuliam amitam defunctã pro roſtris laudaret: Amitæ meæ Iuliæ, inquit, maternũ genus à Regibus ortum, paternum cum dijs immortalibus coniunctum eſt. Ab Anco enim Martio Martij ſunt Reges, quo nomine fuit mater, à Venere Iulij, cuius familia eſt noſtra. Videte quàm longè Cæſar ſui generis initia repetat. Quod niſi ſe & ortum eſſe, & ab illis potiſsimum ortum eſſe iuuaret, ſuæ nobilitatis prin cipia, tam ſtudioſè non conſectaretur. Atq; hic qui dem quantas res domi, militiæq; geſſerit non dico (nulla eſt enim orbis pars quam nõ illius fama compleuerit) illud dico, eum niſi gloriam atq; immorta-

litatem

litatem ſibi propoſitam habuiſſet, nunquam tam diuerſas prouincias peragraturum, tot labores, tot pericula, terra mariq; ſubiturum, tot ſui nominis egregia monumenta poſteris relicturum fuiſſe. Quid eius ſucceſſor Auguſtus? Cur illum & ut parentē coluit, et diuinis honoribus conſecrauit, niſi ſe quoque ab eo natum eſſe lætaretur? Quid porrò aliud eius res geſtæ, eius uita uniuerſa (quæ ut inter homines longiſsima fuit) quàm gloriam immortalitatemq́; quæſiuit. Quod ſi eum tam diuturnæ uitæ pertæſum eſset, nō tam multis rebus geſtis, tam multis tamq́; egregijs omnis generis monumentis, eam ſibi prorogare atque extendere ſtuduiſſet. Atq; hi quidem cum imperio potirentur, bello & armis ſe claros immortalesq́; reddidere. Quid priuati homines, qui uel litteris, uel pictura, uel ſculptura, uel ædificijs, uel alijs deniq; omnis generis monumentis, ſempiternam ſunt laudem et gloriam conſecuti, qui quidem innumerabiles extitere, quàm obſecro mentem aliam habuere? Qua de cauſa tantoperè laborauere? niſi ut quando uita hæc qua fruimur breuiſsima eſt, eam memoria ſui quàm maximè longam efficerent. Putatis ne igitur eos ſi ſe natos eſſe nollent,

lent, tam multis magniſq; laboribus ac uigilijs, obnoxios eſſe uoluiſſe? Non eſt profectò credibile, prudentiſſimos homines, & longè futura proſpicientes, commiſiſſe, ut incaſſum tot labores incommodaq; ſuſciperent, tam magnam operam atq; induſtriam perderent. Neque *uerò mulieres in hac re uiris uſquàm ceſſere (ne ſui me ſexus* Regina *oblitum putet) nam (ut Saram,* Rebeccam, Annam, *Iuditham, & cæteras* Hebræas *mulieres omittamus, quas quidem nunc quoque beatiſſimas eſſe nemo dubitat) quid fortiſſima illa* Tomyris Scytharum *Regina, quæ uictorem Aſiæ* Cyrum *cum ingenti exercitu cecidit? Quid* Semiramis *Aſſyriorum item* Regina, *quæ* Babylonem *condidit, Aſiæ uictrix, in* Indiam *uſque proceſſit? Quid* Hippolite, *quid* Penteſilea *Amazonum Reginæ? Quid Amazones ipſæ uniuerſæ? quæ magnam olim Aſiæ partem imperio tenuerunt, quo animo, qua ſpe, res tantas geſſere? niſi ut cum ex hac breuiſſima uita deceſſiſſent, etiam apud poſteros diutiſſimè uiuerent. Quod ſi inutilem aut moleſtam, hanc naſcendi uiuendiq; conditionem exiſtimaſſent, nunquam profectò, ut tam diu etiam poſt mortem uiuerent,*

tantoperè

tantoperè laboraſſent. Quid apud nos Camilla, quæ Amazonum gloriam bellicis ſtudijs æmulata eſt? Quid Cloëlia? quæ cum uiris animi magnitudine & uirtute certauit. Quid illæ quæ optimarum artium, liberaliumq́; diſciplinarum ſtudijs, ſuum ad poſteros nomen propagauerunt? ut apud Græcos Sapphos: apud Romanos Cornelia, Hortenſia, aliæq́; permultæ, quas tu non æmulari modo Regina, ſed ſuperare etiam uoluiſti. Non´ne omnes et natalem, & uitam uniuerſam quibus potuerunt modis illuſtrare, & prorogare conatæ ſunt? Quod ſi aut naſci aut uiuere miſerum inutileq́; putaſſent, eam quam acceperant uitam, non tantis uirtutibus, tantis laboribus, diuturnam atq; immortalem reddere ſtuduiſſent. Sed neſcio quo pacto uetuſtiora hæc, et ab ætatis noſtræ memoria remota minus mouēt, uidentur enim partim falſa, partim incredibilia. Quid igitur in illis diutius immoramur? quum habeamus ante oculos quàm plurima non ſolum uera, uerumetiam domeſtica exempla. Quæ cum quia clariſsima ſunt, tum uerò quia ueſtra nulla ex parte refellere aut improbare poſsitis. Atq; ut ſuperiores illos Carolum cognomine Magnum, Fredericum

Barbaruſſam,

Barbaruſſam, Robertum *Campaniæ Regem aliosq́ permultos, non longè ab ætate noſtra remotos prætereamus, qui maximis rebus geſtis, eam famam aſſecuti ſunt, ut nunquam ex hominũ memoria poſſint aboleri, cui obſecro ueterum Imperatorum cedit* Sfortia *ille* Franciſcus? *qui maioribus non ſanè clariſsimis ortus, acceptam à patre nobilitalem bellicis artibus ita auxit, ita illuſtrauit, ut poſteris ſuis non modo ſummæ nobilitatis principium, ſed magnum quoq; imperium ab ſe partum reliquerit.* Cui Vrbinas *ille* Frædericus *cedit? uir & ipſe haud ſanè illuſtri loco natus, qui quidem bellicas artes imperatoriasq; uirtutes, ita unus omnes cumulatè cõplexus eſſe, ita exactè abſoluteq; tenuiſſe mihi uidetur, ut nihil in eo quod ad ſummum* Ducem *pertineret deſiderari poßet. Iam uerò* Alfonſus, *auus tuus* Regina, *quem non ueterum* Regum *atque* Imperatorum *omnium, ſuis maximis rebus geſtis ac uirtutibus prouocauit? qui quum magnam* Hiſpaniæ *partem,* Baleares *præterea inſulas, item* Sardiniam *&* Siciliam *obtineret, in* Italiam *claſſe aduectus, non modo* Neapolitanum *regnum, quod maximum atque opulentiſsimum eſt, ſed magnam*

quoq;

quoque Italiæ partem ſuo adiecit imperio, rebusq́; compoſitis uſque ad extremam ſenectutem, ſumma cum pace ac tranquillitate regnauit. Ferdinandus uerò pater tuus quem habet cui cõferri iam poßit? qui Regnum ſibi à patre relictũ, totiens iam à Gallis, Turcis, & (quod peßimum hoſtium genus eſt) à ſuis ſubditis atque optimatibus, per defectionem expetitum, incredibili ſapientia ac celeritate liberauit. Cui quidem fuit non tam cum hoſtibus bello et armis, quam cum ſuis perfidia & proditione dimicandũ, ita tamen et externos & domeſticos hoſtes omnes cũ ſua, tum Alphonſi fratris tui uirtute ſuperauit, ut & gloriam ſibi immortalẽ comparauerit, & ſuis Regnum in perpetuum confirmauerit. Quid ille quem modo memoraui Alphonſus frater tuus? non'ne eam ſuis rebus geſtis, militariq́; diſciplina gloriam atque auctoritatem eſt adeptus, ut in Italia hodie (quod omnium pace dictum uelim) maximus, uel unicus Imperator habeatur. Neq; Fredericus frater ab eo longe abeſt, ut facilè appareat eum à fratre, ut in natali, ita etiam in uirtutibus locum proximum occupaſſe. Ioannes uerò & Franciſcus mihi magis lachrymis quàm uerbis proſe-

quendi ſunt, quos neſcio tibi ne magis gratuler quod habueris, an doleam quod amiſeris. Ipſe certè quotiens mihi eorum uenit in mentem, tanto dolore afficior, ut de ijs neque loqui poßim, neq; uelim meminiſſe. Tanta enim erat in altero doctrina, grauitas, modeſtia, in altero animi magnitudo, rei militaris peritia, morum ſuauitas, ut uterq; in ſuo ordine ſingularis ac princeps non in poſterum fore, ſed iam tũc eſſe uideretur. Quid, obſecro, uidentur uobis hi omnes dum uiuerent cogitaſſe, aut hodie quoque qui uiuunt cogitare? quo tota mente & cogitatione pertendere? quo ſuas omnes actiones tanquam ad ſignum aliquod metamq; dirigere? non'ne ad uitam uirtutibus, & rectè factis quàm maximè propagandam, & eam, quam omnes optare atq; appetere debent, immortalitatem quoquomodo conſequendam. Sed ut tuos quoque Rex in hac ſententia uideas planè fuiſſe, quæ uis obſecro Michaëlem auunculum tuum ſingulari fide, & pietate uirum compulit, ut poſt Ladiſlai Regis mortem, ingenti exercitu matris tuæ conſilio atq; opera comparato, Peſtum ad rerum ſtatum ut aiebat componendum, re autem uera ad te ex hoſtium manibus liberandum

randum ueniret, omnesq́; ut te Regem crearent, pro concione hortaretur? Non ne incredibilis in te charitas, & pietas penè diuina, cuius quidem niſi maximum poſt mortem ab Deo præmium, hoc eſt immortalitatem, & beatitudinem expectaſſet, non erat cur uellet, aut te cum ſuo tanto periculo liberare, aut tibi potius quàm ſibi regnũ aſſerere, præſertim quum id haud magno negotio, tum propter eum quem habebat exercitum, tum propter ſummã erga ſe optimatum beniuolentiam obtinere poſſe uideretur. Quæ uis compulit Ioannem patrem tuũ, ducem omnium ſæculorum omnisq́; memoriæ peritiſsimum, ut tantum Regnum eum unus ipſe adminiſtraret, unus obtineret, & Ladislao admodum puero, tot annis ſumma cum fide atq; integritatę ſeruaret, & ei ſuo tempore, Frederico etiam Imperatore apud quem adoleſcens tunc aſſeruabatur repugnante, eadem fide & pietate reſtitueret, præſertim quum poſſet ipſe id facillimè retinere? Quæ uis eum cum ſæpe alias in Turcas bellicoſiſsimam gentem. Chriſtianoq́; nomini inimiciſsimam, cum ſummo capitis diſcrimine exercitum ducere, & cũ illis acie dimicare coëgit, tum uerò cum capto ab

illis magna iam ex parte Tauruno, ſiue Belgrado munitiſſimo et celeberrimo Mœſiæ oppido, ipſe Sauo amne traiectò, & oppidum mira celeritate recuperauit, & hoſtes omnibus impedimentis caſtriſq; exutos, tanta clade affecit, tanto terrore conſternauit, ut ſi ſequutus uictoriam eſſet, breui delere uniuerſam Turcarum gentem potuiſſet? Non'ne inaudita quædam uirtus, & diuina erga Chriſtianum nomen pietas, eum totiens in eius nominis hoſtes armauit? quod niſi hanc eſſe ad beatitudinem & optimam & certiſſimam uiam credidiſſet, niſi hanc mortalium conditionem, quam tu tàm miſeram uocas magnopere probaſſet, profectò ſe tot laboribus, tot periculis pro Chriſtiani nominis in columitate, nunquam expòſuiſſet. Age uerò quid mulieres ueſtræ ſenſerint uideamus. Propone tibi Rex obſecro ante oculos Eliſabeth matris tuæ prudentiã, ſeueritatem, conſtantiam, animi magnitudinẽ. Propone tibi ingenium, conſilium, iudicium, actiones omnes, quid in ea non reperies omni nõ modo laude, uerumetiam admiratione & ueneratione digniſſimum? Qua prouidentia non modo domũ, ſed magna ex patre etiam Regnum uiro abſente, & exter

nis

nis bellis implicito adminiſtrauit? Qua patientia Ladislai, alterius filij fratris tui necem tolerauit? qua deniq; ſapientia te è uinculis ad Regnum traduxit? Cenſen' tu illam quum hæc ageret, aut ſuæ aut tuæ uitæ pœnituiſſe, ac non te Rege ſe quoq; beatiſsimã indicaſſe? Quid Iſabella mater tua (ut ad te redeam Regina) quid Hyppolita fratris tui uxor? cum ambæ ſe nobiliſsima ſtirpe genitas cernerent, ambæ Regibus, altera præſenti, altera ſuceſſuro eſſent in matrimonium collocatæ, ambæ florentiſsimum Regnum, ſobolem pulcherrimam eſſent ſortitæ, genitas'ne ſe in ullas miſerias, an in perpetuam fœlicitatem exiſtimare potuerunt? Sed omittamus cæteras omnes, ad uos ipſos tandem ueniamus, quis enim uobis ipſis in ueſtra cauſa teſtis aut locupletior, aut probatior iuueniri queat. Tu enim Regina (ut de te prius dicam) ijs parentibus nata es, qui nobilitate, uirtutibus, rebus geſtis, omnes non Italiæ modo, ſed Hiſpaniæ quoque principes, longè antecellant. In ea uerò regione nata es, quæ cœli clementia ubertate ſoli, amœnitate locorum, ædificiorum pulchritudine, abundantia rerũ omniũ, cæteras Italiæ, atq; adeò totius terrarum orbis prouintias, nõ meo

teſt ne quiſq; ita conſtitutus ſe ulla ex parte miſe-
rum appellare? Tu uerò Rex (ut ad te tandem uenia
mus) quid habes quod poßis fortunam hoc nomine
accuſare? Tu enim optimis, ac nobiliſſimis ortus
parentibus, Regnum quod tui antea maiores non ha
buerant, tibi uirtute duce, comite fortuna compara
ſti. Quale uerò Regnum tenue credo, aut exiguũ?
immò uerò ſi latitudinem quæras ſpacioſißimum,
utpote quod amplius octingentis quoqueuerſu paſ
ſuum millibus pateat. Si opes deſideres, auri, argen-
ti, æris, cæterorumq́; metallorum feraciſſimnm: ſi
ſoli qualitatem inſpicias, ad omnia ferenda accom
modatißimum: ſi aquarum copiam oportunitatemq́;
conſideres, plurimis et maximis amnibus irriguum,
utpote quod Hiſtro fluminum omnium maximo,
Nilo tantum excepto, permeetur: ſi incolas expen-
das ab antiquißimis & bellicoſißimis nationibus
habitatum. Tu præterea res eas aduerſus Turcas,
Germanos, Dacos, cæteroſq́; finitimos populos ge
ßiſti, quæ & maximam tibi apud omnes gentes au-
ctoritatem compararuerint, et uniuerſum terrarum
orbem, tui nominis magnitudine gloriaq́; compleue
rint. Eo uerò animo præditus es, ut nulla te fortuna

nimium uel ſecunda extulerit, uel aduerſa deiecerit, eo ingenij iudicij acumine, ut nihil omnino ſit quod tu uel non optimè intelligas, uel non perſpicaciſsimè ſubtiliſsimeq; diſcernas, ea memoriæ tenacitate, ut nihil quod tu ſemel audieris te unquam effugiat. Age uerò *quæ tibi* Mathematicarum *diſciplinarum, quæ cæterarum optimarum artium ſcientia? ut ſi quis eam conſideret, te rebus gerendis operam dediſſe non credat: ſiquis contrà rerum abs te geſtarum magnitudinem reputet, ab illis te adduci ad hæc ſtudia potuiſſe nō putet. Quantis uerò opibus affluas, quibus ædificijs, qua gemmarum, librorum, ueſtium, cæterarumq; præcioſiſsimarum rerum ſuppellectile ornatus ſis, non attinet dicere, quàm uerò rebus his omnibus ad liberalitatem munificentiamq; utâre, quàm benigne amicos cæteroſq; qui tibi aliquid mereri uidentur impartias, mirum animo & incredibilè dictu eſt. Quibus uerò amicis atq; optimatibus, quanto uirorũ ſplendore, quanta grauitate, quanta doctrina circumfuſus es?* Atq; *huius quidem fortunæ tuæ teſtes ampliſsimos habes omnium* Regum *gentiumq;* Oratores, *qui ad te quottidie ſalutandum undiq; uenerandumq; ueniunt.*

niunt. Huc acceſsit poſtremò concordia abs te cum Maximiliano Romanorum Rege *&* Frederico *eius patre* Chriſtianæ Reipublicæ Imperatore *ſapientiſsimè inita, qua tu &* Regnum *tuum præſidijs maximis ac firmiſsimis in perpetuum communiſti, & te aduerſus hoſtes omnes maximis uiribus, auxilijsq́; fideliſsimis præparaſti. Quid, obſecro, maius ab immortali* Deo, *quid melius aut ſperari aut optari poteſt? Quæ fœlicitas eſt aut unquam fuit cum iſta fœlicitate comparanda?* Et *potes in tanto dignitatis fortunæ rerumq́; omnium culmine collocatus, te ad miſerias natū dicere? quis, obſecro, fœlix unquam aut fuit aut erit, ſi tu te miſerum audes appellare?* Videtis'ne *ambo, etiam ſi cæteri homines miſeri ſunt, uos tamē eſſe fœliciſsimos. At nudi, inquis, flentesq́; naſcimur, alieno uelamine operimur, terram colimus, domos ædificamus, corpori inſeruimus, morbis, cupiditatibus, morti deniq; ipſi obnoxij ſumus, poſt mortem ad inferos in æterna ſupplitia rapimur. Videte quæſo, ne iſta potius ſint in* Deum *iniuſta iurgia, quàm iuſtæ miſeriarum quærelæ, immò (ut maius aliquid & fortaſſe incredibilius dicam) uidete ne iſta potius fœlicitatis quàm mi*

ſeriarum, tum ſigna, tum inſtrumenta ſint. Nam ſi uel diuinæ in nos beneficentiæ munera, uel cauſas noſtri ortus, uel noſtræ naturæ qualitatem conſideremus, profectò non hanc naſcendi uiuendiq; conditionem, hoc eſt ipſius Dei legem atque inſtitutum arguemus (nam quum hæc arguimus Deum ipſum qui hæc ita comparauit arguimus) ſed noſtram tum ingratitudinẽ, tum ignorantiam, tum etiam nequitiam, atque incontinentiam accuſabimus. Nam ut ueterum illa Philoſophorum deliramenta omittamus, quorũ alij mundos innumerabiles, alij unum, atq; æternum eſſe exiſtimabant. Item ut uniuerſam illam Epicuri de natura Deorum ſententiam reijciamus, quæ iam pridem à ueteribus Stoicis confutata eſt, non'ne uos & mundum, & Deum unum, quorum alter & factus quandoq; ſit, & quandoq; periturus, alter neq; genitus unquàm, neque unquam interiturus ſit, eſſe planè fatemini? MATH. *Fatemur planè, neq; enim nos ij ſumus, qui aut Democrito, aut Epicuro, aut diſsidentium inter ſe Philoſophorum turbæ aſſentiamur. Cum & Plato, & eo longè antiquior Triſmegiſtus, et Deum unum, atq; æternum eſſe: & ab eo factum mundum, atq; hanc*

rum naturam uniuerſam productam eſſe fateatur. PET. Satis habeo. Nã quũ Deum unũ eſſe conceditis, et æternũ, et immenſum, et omni potentẽ, & ſapientem, et iuſtũ, et pium, immò omnis ſapientiæ, iuſtitiæ, pietatisq; parentẽ atq; auctorẽ eſſe, concedatis neceſſe eſt. MAT. Ita eſt. PET. Item quũ factũ ab eo mundũ fatemini, aliqua de cauſa factũ eſſe fateamini opus eſt. MATH: neq; iſtud negare aliquo modo poſſumus, PET. Cuius porrò niſi hominis cauſa factum eſſe poteſtis ſuſpicari? niſi forte Deũ ſibi domũ per quam deambularet, & in qua oblectaretur ædificaſſe uultis credere. MATH. Iſtud quidem delirare eſſet omnino. Nam neq; contineri loco Deum, neq; harum rerum aſpectu aut fruitione delectari credimus. PET. Rectè ſentitis, Quid uerò mundum? factum'ne hominum gratia eſſe creditis? MATH. Credimus quidem, ſed qua de cauſa Deus & hominem ipſum produxerit, & hanc tantam molem hominis gratia fabricatus ſit, id abs te nobis uolumus, & quidem latius pro tua conſuetudine & uberius explicari. Nam quum ita nos interrogationibus tuis concludis, trahis magis nos rationum uinculis in tuã ſententiam, quàm ducis: & co

gis

gis potius nos id quod uis fateri, quàm perſuades, Sed oratio perpetua neſcio quo pacto nos magis mouet,& paulatim nos quo uult quaſi manu ducit. Hac igitur ſi placet utère.& totam iſtam de mundi & hominis creatione rationem, nobis ſi placet, latius explica. Nos *ſiquid dubitabimus abs te quæremus.* PET. *Ita obſecro faciatis. Ego quoque uobis quantum potero morem geram. Quanquam autem diuinæ mentis archana indagare, & impoßibile, et ſtultum eſt, quouſq; tamen nos aut ratio, aut coniectura ducet, hoc eſt quouſq; nos* Deus *ipſe permittet, progrediemur: cætera neq; uos quærere debebitis, neque ego potero aperire.* MATH. Minimè *uerò ea quærenda eſſe cenſebimus, ſed ubi tu potiſſimum iuſſeris conſiſtemus.* PET. *Deus igitur cum eſſet ſumma bonitas, ſumma beatitudo, ſumma potentia, ſumma ſapientia, ſumma caritas, & non poſſet nihil agere, ſuisq; præclaris operibus ut optimus artifex delectaretur, ſocium ſibi & participem horum bonorum, hominem ſui, quantum natura illa fieri poterat, ſimilem creare inſtituit. Quippè qui neq; illi tantam fœlicitatem inuideret, neque timeret, ne homines ſibi quandoque bellum inferre, &*

(ut de Gigantibns fingunt Poëtæ) cœlũ expugnare conarentur. Itaq; hoc quod uidetis cœlum, hac potiſsimum qua cernitis orbiculata & circulari forma, quæ & pulcherrima & ampliſsima uiſa eſt, è nihilo, immò ipſo tantum uerbo, nutuq; (ut nos exiſtimamus) creauit. Id porrò incredibili ſtellarũ multitudine, & uarietate diſtinctum, ut duobus firmamentis, quos Græci Polos, nos axes dicimus, mira celeritate aſsiduè uerteretur effecit: ſeptem huic ingentes ſtellas quos Græci Planetas uocant, diuerſis inter ſe ſpatijs, magnitudinibusq; diſtantes, qui contrà ſupræmũ illud cœlum continuo motu, & uolubilitate ferrentur, incredibili pulchritudine & arte ſubiunxit. Ita ut inter eos Sol & Luna tum ſplendore, tum magnitudine, cæteris præſtantes, ſuo curſu temporum, uices uarietatesq; conficerent. His uerò omnibus dedit alias atq; alias in rerum natura poteſtates, ut ſingulis conuenire uiſum eſt, quas cum quia non ſunt huic noſtræ diſputationi neceſſariæ, tum quia tibi Rex notiſsimæ ſunt, in præſentia prætereo. Hãc uerò tantam molem, quattuor illis quibus omnia cõſtant ſiue ſeminibus, ſiue elementis cõpleuit, ita ut in medio tanquam in umbilico

bilico terram collocaret, eam mari circundaret, utriq; uerò aërem primo, deinde ignem, ſua quemq; terminatum regione circum duceret. Atque *aërem quidem uolucribus, mare piſcibus incredibili multitudine & uarietate repleuit.* Terram *uerò hominibus potiſſimum aſſignauit, eam tamen etiam multiplici ferarum ac pecudum genere, quibus homines tum alerentur, tum iuuarentur referſit.* Atque *huius quidem naturæ partum, uel magnitudinē uel pulchritudinem, uel ornatum, uel ſitum uel opes, uel fructus, oratione exprimere difficilè eſt.* Pro*ponite uobis totam, quæſo, antè oculos, & eius faciem quaſi ex altiſſima ſpecula contemplamini, intuemini, quæſo, qua uarietate, qua ſpecie conſurgant arboribus ueſtiti montes, & ſubſidant conſitæ uitibus, & irrigatæ fontibus ualles, ut campi uario tum herbarum, tum arborum, tum frugum genere diſtincti porrigantur.* Iam *uerò mare quod totam intrà, extràq; alluit, quantam non modo ſpeciem uerumetiam utilitatem affert.* Flumina *quoque quæ à mari per eius uiſcera uenasq; ſubeuntia, diuerſis locis ſcaturiunt atque erumpunt, rurſusq; eam ſupernæ permeantia, & quibuſdam quaſi uinculis*

mari

mari annectentia, ſuæ ſe origini, hoc eſt, mari reddunt: quàm & ipſi terræ ad fructus ferendos, & animalibus ad potandum lauandumq; neceſſaria? Tot uerò fruges, tot poma, tot baccæ, tot flores, tot herbæ, quo ordine, qua arte, qua uarietate, qua pulchritudine, ab illo rerum omnium parente, & productæ, & collocatæ ſunt, ita, ut ſe quottannis ſuo ſemine inſtaurent, & non ſolum nobis, ſed cæteris quoque animantibus abundè cibum præbeãt. Quæ autem è terræ uiſceribus eruuntur aurum, argentum, æs, ferrum, plumbũ, cæteraq; metalla, itẽ gemmæ, marmora & quæ ſunt eius generis, quàm multa, quàm utilia, quàm pulchra, quàm prætioſa ſunt? ut in illis quid potiſsimnm laudes non facilè reperias. Iam uerò animalium ſiue terreſtrium, ſiue aquatilium ſiue aërеorum quanta copia? quanta uarietas? quantus uſus? ut ſine ijs neque ueſci, neque operiri, neque terram colere, neq; onera uehere, neque etiam incedere longius poſsimus. Atque hanc tantam mundi molem, tantam rerum omnium copiam, tam inſignem ornatum, optimus ille & beneficentiſsimus parens Deus, noſtra tantũ cauſa procreauit, noſtra cauſa extruxit, noſtra in hunc diem

cauſa

cauſa ſeruauit, noſtra quotidie cauſa regit, & tan quam optimus humani generis uillicus adminiſtrat: & annuos nobis magno cum fœnore fructus refert. Quod igitur, obſecro, poteſt huic beneficium comparari? quæ ſatis digna huic merito gratia referri? An non hæc omnia ſunt unius hominis gratia comparata? His credo *fructibus, his animalibus, his elementis, Deus ut aleretur, ut iuuaretur, ut uiueret indigebat.* Non'ne *omnia & nobis conceſſa ſunt, & à nobis pro arbitrio gubernantur? atq; utinam pro illis inter nos non ſine fine digladiaremur, utinam non illis in noſtram pernitiem abuteremur. Sed miſſa hæc faciamus.* Hominẽ *uerò ipſum, qua ratione ipſum idem opifex, qua ſpecie, qua arte for mauit? quàm multa in eo, quàm mirabiliter cumulauit, quàm aptè diſpoſuit, quàm egregiè collocauit, & ita ut non dubitarent multi hominem propter omnium in eo rerũ cumulatam diſpoſitionẽ* μικρὸ κοσμον, *hoc eſt, paruum mundum appellare.* Cor *pus enim eius mira quadam proportione, ſiue (ut* Græcè *ſignificantius exprimã)* συμμετρία, *omni bus ſibi mutuo reſpondentibus membris cõpoſuit, ita ut caput reliquo ſingillatim corpori, reliquum*

corpus capiti conueniret. Caput ipſum in ſumma corporis parte, utpote quod uniuerſo præfuturum erat, tanquam in eminentiſſima ſede collocauit. Id ut in omnis flecti partes & facile & celeriter poſſet, flexibili colli & uerſatili columnæ impoſuit, in hoc tanquam in celſiſſima & tutiſſima corporis arce, ſenſus omnes collocauit. Ita ut geminæ utrinq; ad hauriendam uocem aures prominerent, totidem in fronte oculi quod tenerrimi eſſent, et præcioſiſſimus per eos ſenſus permearet, alijs atq; alijs membranis tunicisq; circumdati, deſuper palpebris occulerentur. Inter eos naſus, totidem naribus, tum ad olfaciendum, tum ad reſpirandum, tum ad humorem à capite diſtillantem emittendũ diſcurreret. Infrà eum os duobus labijs, totidem malis, duplicem dentium ordinem, item linguam palatumq; concluderet: quibus omnibus & cibus potusq; immitteretur, & ſaporum uarietas iudicaretur, atq; uox ipſa ſermoq; redderetur. Tum brachia collo atque humeris gemina, quæ in totidem manus deſinerent utrinq; ſuſpendit, ea ut circumagi in omnes partes, & corpori miniſtrare facilius poſſent, iuncturis, digitis, articuliſq; diſtinxit. manibus porrò multipli-

cem ad omnia corporis miniſteria & incredibilem uſum dedit.Poſt collum à tergo renes,ſpina perpetua ad nares uſque interſecti, à fronte pectus primo duabus mammis & coſtarum crate utrinq; munitum, inde ſtomachus & uenter quendam quaſi truncum efficiunt,inde in gemina crura, quæ in pedes deſinunt,corpus diuiditur, his interiecta uirilia honeſtiſſimè occultantur,ita ut & ad excrementa emittenda,& ad ſobolem propagandam,mira tū commoditate,tū honeſtate,tum arte cōparata ſint. Quæ uerò intrà corpus latēt nō minore,immò multò maiore artificio cōſtituta et diſpoſita ſunt. Verū id quo maius atq; occultius eſt,eo minus apparet,minusq; à nobis ipſis intelligitur. Quis enim queat dicere quo pacto,et memoria,et intellectus,et ſenſus in cerebro et capite contineātur? Quo pactò et calor,et ſanguis,et ſpiritus aut procreetur, aut ſeruetur,aut diffundatur:quo pactò cibus aut concoquatur,aut digeratur,aut nutriat?Quis uenarū,arteriarum,neruorū,uiſcerum diſtinctiones,ordines, officia queat explicare?quæ ne ij quidē qui ſæpe numero diſſectò particulatim humano corpore uiderūt, poſſunt dicere.Quæ uerò inſingulis membris collocandis

*locandis muniendiſq́; ratio? ut non ſolum utilitati uerumetiam ſpeciei conſultum fuiſſe appareat. Caput enim, quod uniuerſo corpori imperaturum erat, in ſummo ut diximus collocatum, cum potiſsimam animæ partem, hoc eſt intellectum, memoriam, ſenſusq́; contineret, cerebro intrinſecus et humore repletum eſt, tenues deinde tunicæ duæ utrinq; inductæ, tum * ſiue (ut medici appellant) Craniũ quaſi teſta quædam duriora eſſet commiſſa & tanquam uas in quo cætera contineretur concluſa. Cutis inde durior, quæ omnia operiret complecteretuŕque adiecta, & ut ſpeciem ſimul & præſidium contrà uim frigoris & caloris haberet, capillis circunfuſá eſt. Capiti uultus appoſitus, quo homo non modo audiret, uideret, guſtaret, olfaceret, aleretur, uerumetiam iram, lœtitiam, ſpem, metum, mentem, præterea conſilium, cogitationes, & omnes animi, non ſolum motus uerumetiam conceptus, tum ore, tum etiam ſermone, indicaret atq; exprimeret. Appoſitæ humeris utrinq́; manus, quibus quæ uellet contingeret, apprehenderet, admoueret, repelleret. Pectus capiti colloq́; ſucceſsit, quo et animus conſilia curasq́; reponere, & demittere alimenta, & ſpiritum*

* κϱάνιον

 ſpiritum

haud inutiliter prominenti carnoſitate appoſitæ, quippè quibus & neceſſarius ſordiũ exitus utrinq; uallaretur, & ſedendi præſtaretur officium. His et *lumbis, crura utrinque annexa ſunt, ea porrò genibus, ſuris, tibijsq; ad pedes uſque diſtincta, quaſi geminæ columnæ uniuerſum corporis pondus ſuſtinent, ut huntq;, & ut erigi facilius & ſubſidere corpus poßit, iuncturis in medio hoc eſt genibus commiſſa ſunt.* Pedes *uerò, ut & ferre, & ſuſtinere totius corporis molem poßint in planam atque æqualem formã deſinunt, proptereaq; eam ut exiſtimo* Plantã *appellauimus.* Totum *autẽ corpus ut & facilius ſentiat, & ad ea quæ obiturũ eſt munera uegetius atque habilius ſit (ut paulo pòſt dicemus) nõ uelleribus, aut pilis, aut ſetis, aut ſquammis, aut plumis, aut aliò uelaminis genere, ſed tenui et molli pellicula obductum eſt, ita ut qui mollißimam et tenerrimam ſortiti ſint, hij omniũ philoſophorum iudicio, ingenioſißimi exiſtimentur.* Atq; *ut homo ſuæ originis parentisq; meminerit, ut cœlũ ſemper ſuſpiciat, unũ animantiũ omniũ, corpore erectò uultuq; in cœlum uerſo, ſtantẽ* Deus *idem cõſtituit.* Quod *quidẽ elegantißimè his uerſibus* Naſo *expreßit.*

Pronaq́ꝫ cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit,cœlumq́ꝫ uidere,
Iuſsit:& erectos ad ſydera tollere uultus.

Huic igitur corpori idem naturæ opifex ac parens Deus nunquam à nobis ſatis laudatus, animam ab ſe tunc potiſsimum creatam, immiſit atque infudit, eamq́; ita membris omnibus connexuit, ita coniunxit, ut diuelli ſine hominis morte nõ poſſet, ita uerò totã per uniuerſum corpus diffudit, ut ſingulæ eius partes totam continerent, & (quod dictu mirum atque incredibile uidetur) nuſquam tota abeſſet, & tamen una corpus uniuerſum compleret. Eius præcipuam quaſi ſedem alij cor, unde uigor ille animi proficiſci uidetur, alij caput, ubi & ſenſus et intellectus et memoria reſidet, eſſe putauere. Materiam eius nos quidem neque dicere neq; indagare poſſumus, quemadmodum etiam qua materia uel cœlum, uel ſidera, uel elementa, uel cætera omnia conſtituta ſint, nullo pacto poſſumus affirmare. Nam quam Græci ὕλην nos materiã primam dicimus, eam ſi ſubtilius conſideremus, et rem ad ultimum redigamus, neque per ſe quicquam eſſe, neq; etiam ſi ſit, cauſam & quaſi ſubiectum rerum omniũ eſſe poſ-

ſe

ſe ſine dubio reperiemus. Neque enim ſummus ille opifex qui ſupra omnem materiã, immò qui omnis materiæ auctor eſſet. & omnia è nihilo conſtitueret, ulla ad res creandas materia indigebat. Is igitur quum & cœlum & cætera omnia ex nihilo produxiſſet, ſuamq; uincuiq; rei pro eius natura materiam tribuiſſet, animæ quoque ab ſe tum primum è nihilo productæ nobiliſsimam, puriſſimam, & pro reliqua hominis compoſitione atque imagine præſtantiſsimam, ſibiq; ſimillimam, ſed quàm ſolus ipſe noſſet materiam attribuit. Quam quidẽ depræhendere quum ueteres Philoſophi nõ poſſent, in uarios errores inciderunt, ita ut alij ſanguinem, alij aërem, nonnulli ignem materiam eſſe dicerent. Ariſtoxenus quidem muſicus idemq; Philoſophus, mira illa corporis compoſitione deceptus, ἁρμονίαν quandam è membrorũ tanquam è fidium concordia exiſtentem, animam eſſe dixit. Ariſtoteles rem altius reputans ἐντελεχίαν nouo nomine appellauit, eam noſtri Philoſophi actum primum, Cicero, quaſi quandam continuatam, & perennem motionem uocat. Nos multò ſapientius, multoq; uerius uel nullã eſſe materiam animæ, uel uni qui fecit Deo notam

d 4 eſſe

eſſe dicimus. Eius porrò uires & quaſi poteſtates, & multæ, & admirabiles ſunt, ita ut eius præſtantem diuinamq; naturam nobis facilè aperteq; oſtendant. Quanta enim eſt, bone Deus, et quàm admirabilis uis illa intelligendi uni homini diuinitus conceſſa, qua & ſe ipſum, & quæ extra ſe poſita ſunt omnia contemplatur? quanta eius celeritas? ut unico temporis momento uniuerſum terrarũ orbem, longè lateq; peruagatur, quanta amplitudo atq; capacitas? ut uniuerſam hanc quantacumq; eſt, cœli mundiq; molem, & quæcunq; in ea corporea atque incorporea continentur, intrà ſe omnia comprehendat, et quaſi complectatur? ſubtilitas uerò tanta, ut humana omnia perueſtiget ac penetret, & ad cœleſtium diuinarumq; rerũ naturas, uni Deo cognitas, illo acumine & contemplatione conſcendat: Tanta deniq; diuinæ naturæ ſimilitudo atque imago, ut immortalitatis ac beatitudinis capax & particeps efficiatur. Hoc illud eſt quod nos intellectũ atque ingenium appellamus. Quodquidẽ ad omnia non modo intelligenda, uerumetiam agenda eſt accomodatum atque ingenitum, Vnde ipſum ingenij nomen etiam arbitror eſſe deductum. Huic ſubie-

cta

ẽta & quaſi ſubſeruiens memoria eſt, omnium rerum ampliſſimus fideliſſimusq; theſaurus. Hæc *quidem incredibile eſt qua ui, qua facilitate, qua tenacitate, & audita uiſaq; percipiat & percepta conſeruet, & ſeruata quum opus eſt efferat atque expromat.* Hæc *eadem quum aliqua euanuiſſe & penè deleta eſſe uidentur, incredibile eſt quo pacto reminiſcatur & quaſi illuſtret, nõ aliter quàm ſiquis ueterem & penè aboletam ſcripturam reficiat ac renouet. Videtur enim is qui in memoria aliquid imprimit ſcribere, qui recitat ſcriptum legere. Neq; illa parua uis eſt cogitandi quam unum hoc animal accepit, qua & rationes inter ſe comparat, & noui ſemper aliquid inuenit atque excudit. Subſeruit autem & quaſi famulatur his partibus omnibus uis illa ſentiendi quæ in partes quinq; diſtributa, quinque illos quibus maximè utimur atq; abutimur ſenſus efficit: hi tanquam exploratores quæcunq; perceperunt intellectui, tanquam duci atq;* Imperatori *nunciant.* Proficiſcitur *ab his & quaſi emergit uis illa cupiendi, atque appetendi quicquid & bonum oblatum eſt: item altera huic diuerſa atque oppoſita, reijciendi repellendiq; contrarium: quam*

 quidem

quidem utranq; uoluntatem poſſum appellare. Sed his omnibus tanquam dux & moderator aliquis ratio eſt appoſita, quæ multiplici ui ac poteſtate, ea quæ oblata ſunt æſtimat, diiudicat, eligit, & quantum in ſe eſt efficit atque exequitur. Hæc intellectui coniuncta nos à cæteris animantibus longiſſimè ſeparat, atque inter nos incredibili uinculo orationis coniungit. Hæc uitam noſtram uniuerſam moderatur ac regit, hæc nos in cœlum rapit, hæc diuinitatis participes, hæc denique proximos ac ſimillimos Deo *reddit. Satiſ'ne igitur magnum hoc uobis diuinæ beneficentiæ munus uidetur? eſt ne hoc ſatis amplum diuinæ in nos beniuolentiæ teſtimonium? eſt ne ſatis ampla homini à* Deo *dignitas poteſtaſq; conceſſa? ut is qui antea non fuiſſet, tam pulchro, tam artificioſo, tam aptè compoſito corpore donaretur, animam in delectum rationiſq; participem diuinitatis beatitudiniſq; capacem, immò puriſſimæ illius ac diuinæ lucis non nihil habentē ſortiretur, terra mariq; imperitaret, omnibus animantibus præeſſet, omnibus uteretur fructibus, omnis generis diuitijſq; afflueret. Cœlum & quæ in eo ſunt omnia ſua cauſa procreata ſciret, illiſq; quoad*

uiueret frueretur: ad Deum quum è uita exceßiſſet, atque ad æternam beatitudinem ſe reciperet, Dei deniq; *particeps ſociusq; exiſteret. Quis hoc unquam non dico ſperare, ſed optare quoq; aut cogitare auſus eßet omnino? & nos in miſerias genitum eſſe existimamus?* Non'ne *etiā ſi ſciremus perpetuas nos miſerias ſempiternaq; ſupplicia eſſe ſubituros, hanc tamen tantam naſcendi uiuendiq; dignitatem, præſtare omnibus miſerijs ac ſupplicijs putaremus?*Non'ne *ut hac lucis & uitæ dignitate ac fœlicitate frueremur quæuis mala, quaſuis ærumnas perpeti uelle deberemus? Quis, obſecro, tantus calamitatum ac miſeriarum cumulus poſſet cum huius lucis dignitate ac perfruitione comparari? Quod malum poſſet nos unquam ab huius uel cupiditate uel delectatione deterrere? Sed quales homines* Deus *genuerit intelligo, cur genuerit non intelligo.* Atqui *fruſtra quæri cenſeo, cur acceperis beneficium, cum magnum te beneficium accepiſſe fateare, immò hac ipſa interrogatione ingratitudinem tuam indicare te puto.* At *nō fateor, inquis, me ullo beneficio eſſe affectū quod creatus ſim. Quid enim ego cum non eſſem hac luce indigebam? immò*

mò potius iniuria me affectũ puto, quod ſim in has procellas fluctusq; demerſus: neminẽ, me hercule, arbitror eſſe ita ſtultum, ita ingratum, ita ſui ipſius immemorẽ, qui hoc audeat dicere, qui tam magnũ, tam apertum beneficium aut diffiteri, aut contemnere unquã audeat. MATH. Nemo profectò hoc ſanæ mentis unquã faciet. PET. Siquis tamem ſit ita durus, ita immanis, ita ingratus, ita petulans, qui cum ſe cæterorum animalium præſtantiſſimum & Deo penè ſimilem, quum antea nihil eſſet, factum uideat, audeat tamen cur factus ſit quærere, huic ego reſpondebo, ſi Deum uel imperitum uel iniuſtũ putat, qui aut neſciat qua de cauſa fecerit hominẽ, aut non iuſta de cauſa fecerit, ipſe impius eſt & indignus qui in hominum numero habeatur, qui Deũ peſſimè etiam homine peiorem exiſtimet. Si Deum & optimum & ſapientiſſimum eſſe putat, deſinat ab eo ſuæ creationis quærere rationem, exiſtimetq; id optimum eſſe quod Deus fecerit, ſeq; ab Deo nõ niſi optima de cauſa productum putet, eam ſi ipſe ignorat ſuam ignorantiam, non Dei beneficentiam arguat. Eam tamen cauſam ſi omninò ſcire deſiderat, ſciat ſe ad immortalitatem et beatitudinẽ apud

Deum

Deum cõſequendam eſſe natũ. Quamquidẽ qui nõ credit, ſuam perfidiã: qui non cognoſcit ſuam inſcitiam: qui nõ curat, ſuam nequitiã ingratitudinẽq; accuſet. Illud ſine dubitatione omnes ſibi perſuadeãt, ſe nõ niſi optima ac iuſtiſsima de cauſa eſſe procreatos. At cur inquis mortales nos & tot morbis neceſſitatibusq; obnoxios Deus fecit? ſi immortales beatosq; eſſe uolebat, cur nõ immortales quoq; & beatas ab initio procreauit? Eodẽ reuolueris, idẽ enim eſt cur mortales et cur homines Deus fecerit quærere. Nã cum mortales dicis, quæ hominũ conditio eſt, homines utiq; dicis. Ego uerò poſsẽ ita tibi iure optimo reſpondere, quid tu te Dei iudicẽ facis? non eſt tuũ id quærere, non dicit urceus figulo. Cur me hoc modo finxiſti? Tu uerò multò magis differs ab Deo quàm à figulo urceus, multoq; illi magis debes. feras igitur æquo animo conditionem tuam. Quicquid enim habes, ex munere habes, cum promereri qui nihil eſſes, nihil potueris. Deum & optimum et iuſtiſsimum fateris eſſe, illi igitur te totum committe ac trade, quem ſcis aut errare, aut decipere nec uelle nec poſſe. Poſſem, inquam, ita tibi merito reſpondere, neque tu contra haberes quid diceres,

ſed

ſed tamen uolo tibi quantum poſſum ſatisfacere Scias igitur nos qui ad immortalitatem ac beatitudinem geniti ſumns, immò quod ſumus & maiori et meliori ex parte immortales, hoc à diuina beneficẽtia & liberalitate habere: quod uerò ſimus aliqua ex parte mortales, hoc nobis iure optimo immò etiã neceſſario contigiſſe. Illud enim miſericordiæ & gratiæ, hoc iuſtitiæ & æquitatis munus eſt, Quicquid præterea ex his elementis, ex his contrarijs qualitatibus calore, frigore ſiccitate, humore compoſitum & conflatum eſt, id aliquãdo diſſoluatur atque interitũ ſentiat neceſſe eſt: ea enim quæ ſibi mutuo repugnant atque aduerſantur, ſempiterna eſſe non poſſunt. Hæc uerò elementa quibus conſtat omne quod natum eſt, quum contrarias inter ſe naturas et qualitates ſortita ſint, qui durare compoſita & coniuncta non poſſunt, immò etiã ipſa per ſe, cũ ſemel producta & procreata ſint, occidant aliquando & intereant neceſſe eſt. Non poterat igitur his ſeminibus compoſitus homo morti obnoxius non eſſe. Quod ſi immortale hominum corpus fuiſſet, & elementa ipſa, & quæcunq; ex ijs conſtabãt immortalia eſſe, cum ex eadem omnia

materia

materia & quaſi maſſa conſtarent neceſſe erat. Quod quidẽ ſi fuiſſet, neq; iumenta, neq; feræ, neq; arbores fuiſſent ab hac immortalitate immunes. Atq; hoc quàm turpè, quàm indignum futurũ fuerit ipſi iudicate. Homo enim ipſe q̃ cæteris præſtat, cæteris differt, qui ad immortalitatem Deo ſimilis ſolus eſt genitus, à feris atq; arboribus ulla ex parte non differret? Poſtremò corpus ipſum quod animæ inſtrumentum atq; amictus eſt, cum nihil per ſe ſentiret, nihil intelligeret, beatitudinis capax eſſe non poterat. Quemadmodum enim ueſtes corpori obductæ, ex ijs quibus corpus fruitur uoluptatibus nullam percipiunt, nullam ſentiunt, propterea quod illæ ſunt corporum non ueſtium propriæ, ita ex ijs quas animus capturus eſt, ex beatitudine uoluptatibus, corpus percipere aut ſentire nullã poſſet. Vultis hoc uobis planius faciam? Vide te quàm non delectetur, immò offendatur potius animi uoluptatibus corpus. Quum enim aliquis aut audit, aut legit, aut contemplatur, aut diſputet quippiam quod maximè placeat, ut nos nunc facimus, animus quidem incredibili eius rei uoluptate ac ſuauitate perfunditur, corpus uerò aut fame, aut frigore, aut tedio, aut dolore

dolore uexatur, ut nunc tibi Rex *accidere puto.* MATH. *Profectò ſic eſt. Sed perge, quæſo, rationẽ iſtam explicare, nam dũ tu loqueris, ego dolorẽ minus ſentio.* PET. *Non poſſet igitur corpus eam quæ animi propria, beatitudinem ſentire, immò illũ meo quidem iuditio magnoperè impediret, ut nunc etiam in uita impedit atque à rebus gerendis retardat. Nam cũ animus leuiſſimæ ac puriſſimæ naturæ ſit proptereaq; agilitatẽ et celeritatem incredibilem habeat, corpus contrà quum graue immundumq; ſit, atque ob id etiam tardũ atque hebes animum quem membris quaſi uinculis quibuſdam compreſſum atque aſtrictum tenet, maiorem immodum ſua mole inertiaq; retardat, ita ut ab inſtitutis ſæpè ſtudijs actionibus abducat, atque ob hanc maximè cauſam, hoc eſt ut leuiores atque agiliores ſimus, et quàm minimè poſſumns animos impediamus, ſine ſetis aut pilis, tenuiori cute (quod tu* Rex *paulò ante quærebaris) generati ſumus, ita ut qui tenuiori ac molliori cute, itam qui corpore macilentior et graciliori ſunt, ingenioſiores plerunq; eſſe exiſtimantur, propterea quod minus impeditus mole corporis animus, ad ea quæ ingenij propria ſunt promp-*

tior

tior atq; habilior redditur. Contrà qui aut duriori cute aut corpore obeſiore ſunt qualem me uidetis eſſe, minus ingenio ualeant, cum animus ingenti mole oppreſſus ſe erigere atque explicare non poſſit. BEAT. *Edepol in te uno Petre lex hæc non eſt ſeruata. Nam quum apprimè corpulentus ſis, ingenioſiſſimus tamen & doctiſſimus es.* PET. *Iocaris tu quidem Regina, & nimis de me bene ſentis, utinam iſtud uerè ſentias.* BEAT. *Ego uerò & ſentio & admiror, & quomodo tantam doctrinam aſſecutus ſis neſcio.* PET. *Caſtigo (ut Paulus faciebat) corpus meũ, atq; in ſeruitutẽ redigo.* MATH. *Perge obſecro Petre reliqua explicare, tu uerò uxor ne interpella.* PET. *Satis ut opinor oſtenſum eſt, cur homines à Deo & cur mortales generati ſint, niſi quid aliud uos ad hæc fortaſſe uultis dicere.* MATH. *Nihil omnino.* PET. *Fatemini igitur hæc à Deo rectiſſimè inſtituta eſſe, hominemq; & maximis ab eo beneficijs affectum, & iure optimo morti obnoxium eſſe procreatum?* MATH. *Fatemur planè, quis enim iſtud negare audeat? quum ſit abs te ita copioſè dilucideq; probatum.* PET. *Sequuntur illa quæ ad educationem, labores, alimen-*

ta,morboſq; pertinent, quæ quidem omnia humanī corporis ratio ſecum trahit. Nam cum è contrarijs ut diximus qualitatibus ita cōſtemus, ut nobis quandoq; moriendum ſit, creſcamus paulatim per ſingulas ætates, & quaſi floreamus, item poſtea quaſi defloreſcentes, ad fructum & maturitatem quandam ætatis perueniamus, deinde ad ſenectam & interitum paulatim declinemus neceſſe eſt. Omnia enim orta occidunt, & aucta ſeneſcunt, ut Criſpus inquit. Quæ quum ita ſint, nihil nobis graue, nihil moleſtū uideri debet quod ad corporis educationē pertineat. Ea enim quæ magnum incrementum habitura ſunt, non niſi ab exiguis profecta principijs. & per ſuos gradus aucta ad iuſtam magnitudinem euehi poſſunt. Quod ſi qua repente adoleuerint; atque ad ſummum peruenerint, non fermè diu durāt. Quod animaduertere licet in his, qui quaſi præcoces ante tempus aut fari, aut ingredi, aut ſapere præter ætatem cœperunt, nunquam enim poſtea diu uiuunt. Idem accidit ijs qui repentè diuites potenteſq; efficiuntur, ut enim opes eas facilè aſſecuti ſunt, ita etiam facilè amittunt. Alimentorum & ueſtium, eadem quæ educationis ratio eſt. Creſcere enim &

ſeruari

ſeruari corpus niſi nutriatur operiaturq́; nõ poteſt, Et natura quidem ipſa paruo ac facili cibo, potu, amictuq́; cõtenta, ultra quàm ſatis eſt nihil appetit. Cuiquidem rei argumento eſt, quod & ueteres illi glandibus, atque iis rebus quas terra ſua ſponte pro duxerat, diu uictitaſſe dicuntur, & multæ hodie nationes tum uini, tum panis uſu carent, lacte tantum carnibusq́; ueſcuntur. Sed quum iis rebus, quæ ad homines alendos propagandosq́; pertinebant, uoluptas quædam à natura & delectatio appoſita eſſet, ne quis præ labore aut tedio ſuam uitam ſobolem'ue negligeret, atque ob id humani generis propagatio ceſſaret, neceßitas in luxuriam paulatim conuerſa eſt, neque id quod ſatis erat, ſed quod libido appetebat quæſitum, resq́; in eum locum paulatim deducta, ut homines ſine tritico, uino, lana, ædificiis, immò etiam multi ſine odoribus, unguentis, plumis, aliisq́; delitiis nullo pacto ſe uiuere poße arbitrarentur. Hinc *itaq́; terræ cultura, hinc nauigatio, hinc ædificatio, hinc innumerabiles quæſtuariæ artes, hinc deniq́; omnes mortalibus labores prouenère, ut lautè paſcerentur, ueſtibus ædificiisq́; abundarent, uoluptatibus illis fruerẽtur, quas*

tu tam miſeras & tam moleſtas uocas. Quod *ſi ci bus, potus, ſomnus, & cætera eius generis ita mole ſta eſſent ut dicis, profectò non tantum in illis temporis, non tantum laboris ac ſtudij conſumeremus, non illis tantoperè delectaremur, non tantoperè illa expeteremus: utinam autē non tam iucunda hæc nobis & ſuauia uiderentur, profectò nō in illis uſq; ad interitū mergeremur, nō totos illis dies noctesq; impenderemus, non deniq; in illis ſummum bonum collocaremus.* Ab *hac igitur incontinentia & luxuria morbi innumerabiles proceſſere, ita ut ueriſſimè dictum à ueteribus ſit, plures occidere gulam quàm gladium.* Nam *quū contrarijs illis qualitatibus conſtemus (ut ſæpe iam diximus) ualetudo & uita noſtra omnis, in earum concordia & æqualitate ſita eſt.* Quod *ſi quando illarum aliqua uel cibo uel potu uel alia ratione aucta, cæteras ſuperauerit atque oppreſſerit, totius corporis compoſitio debilitetur ac pericli tetur neceſſe eſt.* Ex *ea porrò diſcordia & quaſi ſeditione, morbi naſcuntur eius generis cuius qualitates atque elementum cæteris dominatur, neque curari poſſunt, niſi priſtina illa in corpus temperies & concordia reducatur.* Sed *alij naſcun*

tur

tur ex alijs, & corrupta iam corporis uitæq́; mate ria pullulant indies plures, & quo nos ad ſenectam atque interitum magis uergimus, & deficiente in il la & calore naturæ plures quottidie grauioresq́; e-mergunt. Quod ſi eo quod ſatis eſt uellemus eſſe contenti, neque cauſas quottidie laborum atque æ-gritudinum, noſtra infinita atque inſatiabili cupi-ditate innecteremus, profectò neq; tot laboribus, neque tot morbis ſubiecti et quaſi addicti eſſemus. Huic rei argumento ſunt permulti ſanè, qui ad ex-tremam ſenectutem perducti, nullos unquam mor-bos ſenſerunt, nullum dolorem, nullam ualetudinis commutationem experti ſunt, cuiuſquidem generis & ego non nullos in Italia, Siciliáq; cognoui, & pu to utrunq́; ueſtrum aliquos uidiſſe. MATH. *Vidi ego apud Dacos circa ſalinas noſtras, quem locum Morimaruſam appellamus, nō nullos centenarios ſe nes, aut etiam grandiores ita ualidos, ita robuſtos, ut accipitrem dextra tenentes equo facile inſilirēt. Hij ſe perpetua ualitudine uſos affirmabant, ita ut ne minimum quidem corporis unquam dolorem eſ-ſent experti.* PET. *Incontinentia igitur noſtra, no ſtra, inquā, incontinentia et luxuria morbos creat.*

Neq;

Neque quicquam nobis nociturum putamus cum ualemus, cum epulamur, cum inebriamur, cum in uenerem ſoluimur, cum frigora æſtusq́; immodicos toleramus, deniq́; cum corpus ad omnem incontinentiam. ad omnes labores, periculaq́; exponimus, tunc, inquam, nihil nobis obeſſe credimus, nihil de ualetudine, nihil de miſerijs, de morte, de pœnis cogitamus. Quũ autẽ morbis opprimimur, uexamur doloribus, ſenectam mortemq́; aduentantem cernimus, tum Demũ miſerias ſentimus, uitam odimus. naſcendi moriendiq́; legẽ deteſtamur. Quæ quam ĩndignè, quàm immeritò faciamus, ipſi iudicate. Huc accedit quod illæ quas modo memorauimus uoluptates, hæc præterea opum, honorum potentiæq́; ſuauitas, ita nos allicit atque attrahit, ita nos ſtudijs humanarum rerum implicitos atque alligatos tenet, ut unde orti aut quo redituri ſimus, neq; meminiſſe, neque cogitare uelimus. Immò his rebus ita delectamur, ita afficimur, ut hanc eſſe noſtræ originis cauſam, hunc omnium bonorum finem & terminum exiſtimemus, atq; ob hoc tantum, ut his rebus perfruamur, natos nos eſſe arbitremur. Quæ quidem opinio ita in humanis mentibus inualuit, ita longè

longè lateq; peruagata eſt, ut in uarios atque exitia biles errores non uulgus modò, ſed doctos quoque homines & ſapientes induxerit. Rati enim non ultra hos uitæ fines progrediendum eſſe, neque alibi ſummum bonum quærendum, alij opes aut honores, alij ualetudinē, plurimi (quod fœdiſsimum eſt) uoluptatem, pauci admodum uirtutem ſummum bonum eſſe putauere. Quæ quidē opiniones, cum magna ex parte noſtris cupiditatibus blandirentur, ita in humanis pectoribus inſederunt, ita penitus infixæ ſunt, ut hodie quoque diuelli uix queant, immò multa hominum milia nunc quoque peſſundent ac perdant. Quod niſi hæc laborum ac morborum aſperitas eſſet, quibus homines quaſi ſtimulis quibuſdam ſuæ mortalitatis admonerentur, & tanquā frenis à uiuendi cupiditate retraherentur, omnes hic ultimum uitæ finem & ſummam fœlicitatē collocarent, neque aliàs aut ſuæ originis cauſam, aut beatitudinem eſſe crederent. Poſtremò nulla eſſet uirtutis exercitatio, nulla ſpes aut expectatio præmiorum, ſi nunquam corpora ægrotarent, ſi nunquam doloribus afflictarentur: Virtus enim (ut Paulus inquit) in infirmitate perficitur. Quid enim eſ-

ſet aut quo pacto ſe extenderet illa conſtantia, illa pacientia, illa omnium dux & regina uirtutum fortitudo, quæ per excellentiam quandam uirtutis nomen promeruit, niſi aliquid eſſet aſperum ac difficile, cum quo illa decertare ac depugnare poſſet? His igitur omnibus de cauſis morbi partim prouenere, partim etiam iure ac merito immiſſi ſunt, neque debent nobis à Deo graues moleſtiq; uideri. Quippè qui aut noſtræ incontinentiæ culpa proueniant, aut noſtræ ſummæ utilitatis cauſa diuinitus immittantur, præſertim quum & eadem nobis diuina beneficẽtia tam multa, tam ſalubria, tam facilia remedia ſuppeditauerit, quibus illos aut expellere, aut magna ex parte leuare poſſimus, et ſint ut diximus permulti qui nullo unquam morbo, aut dolore laborauerint. Senectus uerò cur tantoperè deteſtanda ſit non intelligo, hæc enim ætas eſt omnium uitiorum & cupiditatun expers, omnium uirtutum ac diſciplinarum parens. Hæc iuuenũ regula, & quaſi frenum, hæc fidelis miniſtra conſilij, hæc deniq; optima totius uitæ magiſtra, & tanquam omnis ætatis, ſapientiæ grauitatiſq; perfectiò eſt Quæ quidem ſi reliquam ætatem probam & continentẽ egerit, eſt ipſa

ipſa continentiſſima, neque morbis aut doloribus infeſtatur, ſed proſpera ſemper ualetudine & uigore utitur: Sin uitia ſecum à ſuperiori ætate & cupiditates attulerit, corpore pariter & animo inualida ægráq; efficitur, & ut uirtutibus effœta, ita ualetudine & uiribus exhauſta eſt. Cum enim per ſe infirma ſit ipſa ui naturæ & uita deficiente, libidinis, gulæ, cæterorumq; uitiorum acceſſu debilior nimirum infirmiorq; efficitur. Quod ſi animus ualeat cupiditatesq; compeſcat, corpus quoque ualeat neceſſe eſt. Quicquid igitur moleſtiæ ſenectus habet, à iuuentute habet, ipſa perſe & corpore et animo integerrima eſt. Quod quidem ſic eſſe & Alfonſus Rex huius Reginæ auus, & Robertus Sanſeuerinas belli Dux præſtantiſſimus, et Ioannes Argyropylus, in omni diſciplinarũ genere Græcè Latineq; doctiſſimus, & alij permulti optimè apertiſſimeq; declarant, qui uſq; ad ultimam ſenectutẽ magna corporis animiq; integritate peruenerunt. Laurentius Bonincontrius Aſtrologus præſtantiſſimus octogeſimũ nunc, ut reor, annum agit, tanto animi corporisq; uigore, ut & meminerit quæ puer didicit, & pedibus ſemper iter faciat. Quo Dacos tuos

Rex minus admiror, qui tenuiſsimo cœlo aſſueti, corpus uenando atque equitando ſemper exercue-re. Non *eſt igitur ut uideris ſenectus moleſta, ſi proba ſit, neque eſt hæc ætatis culpa, ſed hominũ, ut in* Catone *maiore* Cicero *apertiſsimè copioſiſsimeq́; oſtendit.* Cupiditates *autem quas tu nobis pernitioſiſsimas eſſe dicis, à ſenſibus proficiſcuntur, nihil enim cupere atque affectare animus poteſt, niſi quod ei à ſenſibus obiectum atque oblatũ eſt, qui ob id feneſtræ animæ à* Philoſophis *ſunt appellati.* Iis *autem nihil pulchrius, nihil utilius, nihil ad uitam magis neceſſarium eſt nobis à natura datũ, adeò ut quicunq; aliquo ſenſu priuatus ſit, mancus omnino inutiliſq́; reddatur* Quod *ſi re optima, pulcherrima utiliſsimaq; abutimur, eamq́; in perniciem noſtram uertimus, nihil eſt quod aut* Deum, *aut humanæ naturæ conditionem accuſare poßimus.* Accuſemus *potius noſtram peruerſitatem, accuſemus noſtram nequitiam, noſtram intemperantiam, noſtram incontinentiam, qui modum tenere in uita neſciamus.* Quod *ſi ea quæ in noſtrum interitũ uerti, aut nobis aliquo pacto obeſſe poſſunt, omnia damnanda ac deteſtanda ſunt, gladios & ar*

ma deteſtemur, quia illis & in patriam, & in parentes, & in nos ipſos uti poſſumus, domos non edificemus, ne aut nos in illis quandoq; obſideamur, aut in nos illæ quandoq; procumbant. Iam uerò quid cibo et potu ſi moderatè ſumatur ſalubrius, quid utilius? eodem ſi immoderatè utimur, quid pernitioſius. Videtis optima quæq; in deterrima poſſe conuerti, nō ſunt igitur propterea deteſtandæ cupiditates quod per ſe malæ aut noxiæ ſint, quum illas à natura tanquam utiliſsimas, & maximè neceſſarias ad uirtutem & res optimas expetendas acceperimus, ſed quod illis ad luxuriā & incontinentiam abutamur. Sunt autem freno potius rationis cohibendæ, et intra temperantiæ fines ne latius uagentur continendæ. Quod quidem ſi fecerimus, infinitas ex illis utilitates capiemus, neque ſolum illas nō damnabimus uerumetiam uitam ſine illis conſtare non potuiſſe iudicabimus. Quod ſi dicerem illas nobis à Deo *ad uirtutum exercitationem eſſe datas, neque ego fortaſſe mentirer.* Oranti *enim* Paulo.*ut à libidinis cupiditate liberaretur, reſponſum ab* Deo *eſt*, Sufficit tibi gratia mea : *neque uos moleſtas aut inutiles iudicare deberetis. Quæ enim continentiæ aut tem-*

perantiæ

perantiæ laus eſſe, niſi cupiditates nos in contraria raperent? Pudicitia uerò, & ea quam nos uirginitatem appellamus, quo pacto tanti apud Deum fuiſſet ut uirginem ſibi matrem per quam ad nos ueniret eligeret, niſi Venerea illa cupiditas quàm pudicitia uinceret atque expugnaret inueniretur. Non ſunt igitur, mihi credite, malæ aut noxiæ cupiditates, non ſunt nobis inutiliter à natura datæ, ſi rectè ijs utamur, ſed ſunt meo iuditio quædam incitamenta uirtutum, & (ut initio dicebam) quædam quaſi fœlicitatis inſtrumenta. Mors autem quàm tu poſtremo loco, maximè homini moleſtam atque horribilē eſſe dicebas, quid habeat tantoperè, uel adueniens pertimeſcendum, uel præſens dolendum refugiendumq; non uideo. Nam etiam ſi animæ cum corporibus extinguerentur (quod nemo ſanæ mentis audeat ſuſpicari) mors aut optanda, aut certè nō refugienda eſſet, propterea quod nos maximis ut uos putatis miſerijs liberaret. Cum autem immortales eſſe animas noſtras, atque ad immenſam quandam & infinitam beatitudinē proficiſci, et uos rectiſſimè credatis, et nemo debeat dubitare, quid eſt quod mortem aut præſentem, aut aduentantem horrere

quiſquam debeat? quæ nos è miſeris beatos, è mortalibus immortales, ex hominibus deniq; Deos red-dat. Atqui pauciſsimi, inquis, queunt ad iſtam beati tudinem peruenire. Quid uos? quem, obſecro inter homines gradum nunc tenetis, è multis ne an è pau cis eſtis? Quot, obſecro, in terris Reges *reperiũtur? non'ne admodum pauci? Quot uerò è priuatis hominibus* Reges *fiunt non'ne multò pauciores? Tu igitur* Rex *quum priuatus atque adeo in uinculis eſſes, neque à tuo patre ad* Regnum *procreatus, tua tamen uirtute atque induſtria* Rex *effici potuiſti, quum homo ſis atq; ad beatitudinem genitus beatus effici non poteris? Quid, obſecro, tibi quo minus id aſſequaris poteſt obſtare,* Deus *ne? at ſalutis noſtræ cupidiſsimus eſt, pro qua* Deus *quum eſſet, homo fieri: quum eſſet immortalis, mori uoluit. An tua uita? at iſtud & in te ſitum eſt, & tibi ut arbitror non obſtabit. Quem enim tu in uita uel pietati, uel beneficentiæ, uel modeſtiæ, uel patientiæ, uel manſuetudini, uel ei quæ tui propria muneris eſt iuſtitiæ locum reliquiſti? Nolo nũc etiam tuam particulatim uitam recenſere, ne tibi aut notiſsima referendo moleſtus ſim, aut tuas laudes explicando*

uidear

uideat adulari. Illud breuiter & uerè dicam, te Regum omnium qui noſtra ætate ſint, & optimum, et religioſiſsimum, ab omnibus & appellari & exiſtimari. Quæ de te dixi, eadem de hac uxore tua intelligi uolo, quæ quum cæteris ſuis uirtutibus, tum uerò pietate & pudicitia cæteras mulieres longè antecellit. Quamobrem ego quidem (ſi ex me quid ſentiam quæritis) de beatitudine, & fœlicitate ueſtra ſempiterna non dubito. At eſt fortaſſe diſſolutio illa corporis & animæ, diſſociatioq́; moleſta. Eſt quidem iuuenibus ut arbitror, aliquanto durior, ut poma quæ immitia & intempeſtiua ſunt, ægrius ab arbore diuelluntur, utpote quæ magis inhereant arbori. Quæ uerò mors ſenibus accidit tanquam tempeſtiua, omnis mea ſententia moleſtiæ & doloris eſt expers. Vt enim maturum iam pomum legentis manum facilè ſequitur, quod ſi non decerpatur ultro ad terram decidit, ita ſenex iam maturus, exacto uitæ curſu, aut ſponte, aut certè ſine dolore diſſoluitur, iuuenis ut acerbum adhuc pomum diutius reſiſtit. Sed iuuenum quoque multos ita facilè morientes uidi, ut dormitare illos dicas non mori. Quid quod nonnulli ita repente, nullis euidentibus

cauſis

cauſis moriuntur, ut ſe quoq; ipſi mori non ſentiāt? quod L. Cæſari dictatoris Cæſaris patri: Item alteri ex eadem familia contigit, qui ambo mane dum calciarentur exanimati ſunt. Quid quod gaudio etiam nonnulli periere? ut mater illa quæ poſt pugnam Cannenſem filium quem mortuum audierat, repentè incolumen uidit. Sophocles Poëta, & Dionyſius Siciliæ tyrannus, quorum uterque accepto Tragicæ uictoriæ nuntio, repente præ lætitia expirauit. Quæ quum ita ſint, non uidetur aliquē mors ipſa dolorem afferre. Quod ſi præſens non eſt moleſta, adueniens et dum expectatur eſſe qui poteſt? At cogitatio illa terret animos, cum ſubit te non futurum eſſe quod fueris. Eorū credo animos terret, qui cum peßimè ac flagitioſißimè uixerint, adeſſe tempus cernunt, quo maximus ac dignißimas ſuorum ſcelerum pœnas expendant. Qui autem rectè ſemper pieq; uixere mortem & ſecuri uenientem expectant, & præſentem læti excipiunt, cogitantes ſe non ad pœnas ſcelerum, ſed ad uirtutum præmia infinita proficiſci. Quod ſi uel diuelli ab ſuis, uel uitam amittere, uel carißima quæq; relinquere durum & moleſtum uideretur, illud profectò quod

uolumus

uolumus tenemus, uitam hanc eſſe non miſeram à qua diſcedere miſerum moleſtumq́; exiſtimetur. Vi*detis ut hæc uita quam uos pauloante miſerrimam putabatis, non modo miſera non ſit, uerumetiam io cunda atq; optabilis, ita ut quamuis ad meliora diuturnioraq́; profecturi, ab hac tamen inuiti diſcedamus.* Poteſt*'ne igitur eſſe mortalium conditio miſera, cum hoc cœlum, hanc elementorũ compagem tã pulchram, tam amplam, tam uariam, tam omni rerum genere diſtinctam, & noſtra cauſa productã, & nobis traditam ab* Deo *eſſe uideamus? cum corpus tanta arte ac ſpecie formatum, animam tam nobilem, tam intelligentem, tam* Deo *ſimilem habeamus? cum ad æternam beatitudinem conſequendã nati ſimus? ad eamq́; recta & facili ſi uolumus uia proficiſcamur?* Poteſt *hæc miſera aut moleſta uita appellari, in qua tantæ opes, tam multæ uoluptates ac ſuauitates ſint, ut hic multi fœlicitatem audeant collocare, nemo deniq; ab ea niſi inuitus diſcedat!* Q*uid uos, obſecro, ad hæc dicitis? fatemini ne adhuc naſci omnibus optimum eſſe? an non dum etiã!*

BEAT. *Ego quidem fateor, & cum te ita de noſtra dignitate diſſerentẽ audio, me natam eſſe maio*

rem

rem immodum gaudeo. PET. *Tu quidem facilè cedis Regina, quippè quæ ita modeſta ſis, ut mihi quē tum ob ætatem, tum ob nonnullam de me conceptā opinionem obſeruas, non audeas repugnare.* Regē *uerò qui et doctiſſimus eſt, & cauſam propriam agit, aueo quàm primū audire quid ſentiat, ſcio enim mihi non ita facilè ceſſurū.* MATH. *Ego uerò tibi* Petre *facilè cedo. Quis enim tam multis & tam ueris rationibus audeat aduerſari? tantæ uerò eloquentiæ reſiſtere etiam in optima cauſa difficilè eſſet.* Ego *quidem me tua oratione non mediocriter adiutum fateor, & in tuam ſententiam non inuitus uenio.* Expectò *tamen quid ad meam hanc ægritudinem dicturus ſis cuius gratia omnis hæc eſt ſuſcepta diſputatio.* Nam *quæ hactenus dixiſti, & mihi & uxori communia ſunt, quæ uerò deinceps dicturus es, ea uni mihi ſunt propria, proptereaq; à me magis expectantur.* Proinde *niſi moleſtū eſt, hanc quoq; mihi partem diſputationos perſolue.* BEAT. Ego *quoque eam* Petre *non minus expectò, quippè quæ meam ex* Rege *pendere uitam putem. Gratiſſimum igitur utriq; feceris ſi hanc quoque partem, quàm diligentiſſimè fueris executus.* PET. *Faciam*

f *libens,*

libens, cum intelligam me rem utriq́; ueſtrum non ingratam facturum, eoq́; libentius, quod uideor iã hoc labore magna ex parte eſſe propter ſuperiorẽ diſputationem liberatus. Nam *quum illa quæ de noſtræ uitæ conditione dicta ſunt, non inuiti concedatis, faciliora erunt, quæ deinceps ſequentur, ſi modo uos non iniqui ueſtræ ægritudinis æſtimatores eſſe uolueritis.* MATH. *Ego quidem quanquam me grauius fortaſſe, uel ſentire uel loqui, ualetudo mea & hic penè aſſiduus dolor cogit, tamen cum uidero te aliquam illi uel mediocrem afferre medicinã, non committam ut fouere ipſe meam ægritudinem uidear.* BEAT. *Neque ego quæ Regiæ ualetudinis ac uitæ cupidiſſima ſum eius malum fouebo, tu modo Petre da operam quantum potes, ut id tua oratione uel depellas, uel (ſi id fieri non poteſt) ſaltem aliqua ex parte comminuas.* PET. *An tu hoc eſſe Regina malum putas?* BEAT. *Ego quidem (ut initio dixi) ita puto.* PET. *Nihil igitur eſt ſuperiore diſputatione effectum?* BEAT. *Eſt quidem multũ, ſed quũ Regem hunc meum immò (ut uerè dicam) meam animam, meam uitam aſpitio è tam ualido ac tam integro, repentè tam debilem & mancum affe-*

ctum

ctum eſſe, non poſſum hanc ægritudinem non magnoperè deteſtari, eámq; non magnum etiam malũ appellare. PET. *Quid tu malũ cedo uocas?* BEAT Nimirùm *id quod bono eſt contrariũ.* PET. *Quid ſi ad hanc alia, atq; alia (quod nolim) ægritudo regi acceſſerit?* BEAT. *Auctum eſſe malum exiſtimabo.* PET. *Quid ſi omnes morbi non dico iam regium ſed aliud quoduis corpus inuaſerint, quid illi dices accidiſſe?* BEAT. *Eum ſine dubitatione in maximis eſſe malis dicam.* PET. *Non tamen in omnibus?* BEAT. *Dicere iſtud quidem non auſim.* PET. *Qua de cauſa? Nam quum eſſe ægritudinẽ malum dicas, qui omnibus ægritudinibus affectus ſit, eum omnibus malis affectum eſſe neceſſe eſt.* BEAT. *Minimè iſtud quidem. Quum enim ægritudinem malum uoco, non ſolum aut uniuerſum malum illam eſſe intelligo, Ita fit ut qui omnibus laboret ægritudinibus in maximis quidem malis ſit, non tamen in omnibus.* PET. *Alia ergo præter ægritudines mala eſſe cenſes.* BEAT. *Vtiq; cenſeo.* PET *Quæ nam?* BEAT. *Paupertatem, orbitatem, ſolitudinẽ, & quæ ſunt eius generis.* PET. *Quid auaritiam, libidinem, crudelitatem, iniuſtitiam, perfi-*

diam, impietatem, et cætera uitia cenſes' ne mala di ci oportere? BEAT. *Iſta uerò ego longè omnium maxima eſſe cenſeo.* PET. *Eadem tamen modò dicebas, eum qui morbis omnibus laboraret in maximis eſſe malis tibi uideri.* BEAT. *Idem etiam nunc affirmo.* PET. *Ergo & qui omnibus morbis, et qui omnibus uitijs laborabit, in maximis æque malis erit?* BEAT. *Ita mihi uidetur.* PET. *Igitur quũ hæc duo mala paria ſint, horum quoque contraria bona paria efficientur, mutuo enim ſe ſemper contraria conſequuntur. Ita fiet ut uirtus & uoluptas, quæ uitio & dolori contraria ſunt, & paria et maxima tibi bona eſſe uideantur.* BEAT. *Adeò ne me inſanam, adeo uoluptati deditam eſſe exiſtimas* Petre, *quamuis ſim mulier, quam à mollitie dictam uultis, ut quaſi in hortis* Epicuri *educata, uoluptatem eſſe ſummum bonum dicam? quæ quidem pecudum non hominum uox eſt.* PET. Non *puto quidem te hoc ſentire* Regina, *quam & prudentiſſimam, & continentiſſimam ſemper cognoui, ſed tamẽ hoc è tuis uerbis efficitur.* Nam *quum uoluptas dolori contraria ſit, ut uitio uirtus, tu uerò dolorem & uitiũ, paria, hoc eſt, maxima tibi uideri mala dixeris, ſequi*

tur

tur ut uoluptas uirtuti par, hoc eſt, maximam bonum ſit. BEAT. *Ego quidem ægritudinem, non dolorem mihi uideri malum dixi.* PET. *Quaſi uerò aliud ſit ægritudo quàm dolor.* BEAT. *Atqui non omnes qui dolent ægrotant. Poteſt quis aut cæſus aut tortus dolere idem tàmen non ægrotabit.* PET. *At omnes qui ægrotant dolent.* BEAT. *Ego quidem neque omnes, neque ſemper ægrotantes dolere exiſtimo. Sed eſto (ne tu me more cæterarum mulierum contentioſam atq; obſtinatam dicas) doleant ſanè omnes qui ægrotant, ego tamen non de omni dolore, ſed de eo ſolum, qui ab ægritudine proficiſcitur diſputo.* PET. *In laqueos rurſus incidis, nam quum dolorem aliquem fateris eſſe malum, uoluptatem ei bonum ut contrarium ſtatuas neceſſe eſt.* BEAT. *Opem mihi coniunx feras neceſſe eſt, nam ego ex huius ueteratoris laqueis extricare me non poſſum.* MATH. *Aequa poſtulas uxor. Nam quum tu meam cauſam agendam, & meas partes defendendas ſuſceperis, me tibi in mea ipſius cauſa ſuccedere atq; opem ferre æquiſsimum eſt Quanquam uereor ego quoque ut huius argumentationibus reſiſtere ſatis poſſim, ita illum uideo ſubtiliter*

conſiderateq́; procedere, & omnes itinerum anguſtias, omnia fugæ præſidia occupare. Sed placebit mihi ſapientiſſimo uiro ſuccumbere, & quaſi Her*culi uictas manus præbere, præſertim quũ neutro modo ſuperior eſſe poſſim.* Nam *ſi id quod in controuerſia eſt, hoc eſt ægritudinem malum eſſe obtineo, ſum inferior, quia à malo ſuperor, ſi non obtineo, rurſus inferior ſum, quoniam à* Petro *ſuperor.* PET. *Immò* Rex *utròuis modo res cedat, non potes tu non eſſe ſuperior.* Nam *ſi obtines ægritudinem malum eſſe, quia me uiciſti ſuperior es, ſi non obtines, quia malũ uiciſti, ſuperior item es.* MATH. Non'ne *ego prædixi me quoque tuos laqueos non euaſurũ, iam nunc enim me meis retibus implicuiſti. Sed age ad noſtram diſputationem redeamus.* PET. *Redeamus.* MATH. *Aegritudinem ſibi malum uideri uxor dicebat.* PET. *Quid tu?* MATH. *Malum quidem eam eſſe dico, ſed non opponi ei uoluptatẽ ut contrariũ.* PET. *Quid igitur.* MATH. *Sanitatem.* PET. *Quid tu in ſanitate uoluptatem ineſſe non uides, ut in ægritudine dolorem? ita ut uoluptas & dolor quaſi genera ſint, hæ uerò ab illis tanquam ſpecies contineantur. Sed concedamus*

tibi

tibi ægritudini ſanitatem opponi, ſi ægritudo malum eſt, non'ne erit ſanitas bonum? MATH. *Et quidem magnum?* PET. *Porrò ſi ægritudo malum eſt, aucta illa, malum quoque augebitur, ita ut ſumma ægritudo ſummum malum ſit.* MATH. *Ita mihi profectò uidetur.* PET. *Eadem ratione fiet ut ſumma ſanitas, ſummum bonum ſit. Vide quàm hoc ab illa de qua pauloantè loquębamur hominis dignitate et fœlicitate diſſentias?* MATH. *Dicere iſtud quidem non audeo, ſed pudet me ita cito de ſententia eſſe deiectum, uideo enim ſi ſanitas ſummum bonum nõ ſit, ægritudinem ut ego putabam ſummum malum eſſe non poſſe. Proinde tu me, quæſo, Petre his laqueis explica atque extrica, & nos ambos (ut etiã pro uxore loquar) quemadmodũ pauloantè feciſti, perpetua oratione confirma.* PET. *Ita faciam. Socraticus quidem Ariſtippus, primus omnium uoluptatem ſummum bonum, dolorem ſummum malum dicere non dubitauit, hunc ſecutus Epicurus ei non tam uita quàm oratione conſenſit. Rhodius deinde Hieronymus, qui indignã fortaſſe Philoſopho ſententiam illam exiſtimaret, in uacuitate doloris ſummum bonum collocauit. Metrodorus eum demum*

plenè perfecteq́ beatum eſſe dixit, cui corpus benè conſtitutũ eſſet exploratumq́; ita ſemper fore, qua ratione nemo eſſet unquam beatus. Quis enim habere exploratũ poßit ſe corpore ſemper benè conſtitutum fore. Hieronymus *uerò nimis timidus doloris fuit, qui eo uacare ſummum bonum putaret. Quid enim (ut cætera omittamus) ſi paupertate, ſi orbitate, ſi infamia laborauerit, licet uacuus omni corporis dolore ſit poterit ne unquam eſſe hîc beatus?* MATH. *Minimè.* PET. *Quid ſi omnibus flagitijs obrutus atque immerſus fuerit?* MATH. *Multo minus* PET. Non *eſt ergo qui dolore uacat beatus?* MA. Non, *ut nunc uideo.* PET. *Iam uerò* Ariſtippi, & Epicuri *de uoluptate ſententia non eſt digna quæ apud uos confutetur, præſertim quum* Regina *pauloantè dixerit, eam pecudum uocem eſſe non hominum. Sunt igitur omnes hæ de dolore ſententiæ reijciendæ, in eumq́; locum noſtra omnis opinio traducenda, ut quicquid à uirtute &* Dei *uoluntate inſtitutisq́; abhorret, id ſolum eſſe malũ arbitremur, dolorem uerò & durum, & aſperum, & moleſtum, & difficilem eſſe dicamus, malum eſſe non dicamns. Nam ſi malũ eſſet dolor, miſer eſſet*

non

non is modo qui eo tunc uexaretur, ſed quicunque etiam eo quandoq́; uexari poſſet, propterea quod eum ſemper expectaret ac timeret. Cum autem nemo ſit cui contingere id non poßit, nemo ab hac miſeria eſſet immunis, omnes ergo perpetuo miſeri eſſemus. Vide quantum mea hæc à tua ſententia diſcrepet, quod autem de dolore dico, de ægritudine quoq; dictum uelim. Age uerò ſi aut ægritudo, aut dolor malũ eſſet, quis, obſecro, eius uitandi gratia non omnem infamiam ignominiamq́; ſuſciperet? Quis contra ut uel exiguam infamiam fugiat, non maximas ægritudines incurrit? maximos dolores cruciatusq́; ſuſcipit? Age (ne longius exempla requiramus) quotiens tu Rex ne ab hoſte pulſus ſuperatusq́; uidereris, aut immenſos æſtus, aut frigora incredibilia pertuliſti? MATH. *Iſtud quidem nobis pœne quottidianum eſt, hyemes totas ſub pellibus agere, nullo frigore uel à caſtris recedere, uel ab obſidionibus prælijs'ue abſtinere, rigidisſimã glaciẽ penè nudi perãbulamus, ſtratũq; in caſtris habuiſſe luxuria eſt. Ego uerò ad hæc etiã graues ægritudines in caſtris pertuli, doloresq́; incredibiles ſæpenumero dißimulaui, ne me iacẽte et cõſternato animi*

f 5 *hoſtibus*

hoſtibus inualeſcerẽt, meis debilitarẽt. PET. *Quid tu quũ iſta ageres, dolorẽ infamiæ, an infamiã dolori præponendã exiſtimabas?* MAT. Omnibus *doloribus, etiã minimã infamiã præponendã ſemper exiſtimaui, et quantũ in me fuit ipſe præpoſui.* PET. *Longè igitur maius malum infamiã quàm dolorẽ putas?* MATH. *Immò tantò maius tantoq; grauius, ut præ ignominia dolorem malum non putem.* PET. *Et rectè quidem. Vides igitur quantum ſit breui diſputatione effectum, ut dolorem, ſi cum ignominia comparetur malum non putes.* MATH. *Video, ſed amplius ad huc opto.* PET. *Quid nam?* MATH. *Vt ſi fieri poteſt, facilem illum mihi tollerabilemq; efficias.* PET. *Iſtud quidem breui (ut ſpero) non tam mea oratione, quàm tua prudentia cõſequeris. Nam ſi animum mihi adhibueris non repugnantẽ, et uolueris paulò diligentius rem ipſam amota omni perturbatione conſiderare, intelliges nullam eſſe tam grauẽ ægritudinem, quæ ferri ab homine, tollerariq; non poſſit. Omnia enim ab honimibus grauia aut difficilia exiſtimantur, partim exercitatione & conſuetudine, partim prudentia & ratione uincuntur. Conſuetudo communior omnibus &*

fortaſſe

fortaſſe facilior ratio, melior & non modo uiro ſapiente, uerumetiam Rege fortiſsimo dignior. Nam ut de conſuetudine prius dicamus, uidemus duriſsimos lapides à molliſsimæ aquæ guttis, longa conſuetudine percauari, quod uix ferro, aut ui alia fieri poſſe ſperaremus: quod ſi hoc in lapide conſuetudo poteſt, in humano corpore cur nō poſsit? Quæ tam fera tam immanis bellua eſt, quæ non tempore & conſuetudine manſueſcat, mutatáq; naturæ feritate cum hominibus uiuere et commorari diſcat. Videmus Leones, Elephantos, Tygres, & ferociſsima quæq; ac ualidiſsima animalia, humanis uocibus aſſuefacta obtemperare & parêre, depoſitáq; ui et feritatenaturæ, ad hominum ſe ſtudia & uoluntatem accommodare, & quæ nullam uim, nulla arma ſoleant pertimeſcere, conſuetudine adhibita, inermis atque inualidi ſerui manus aut uocem reformidare. Quod ſi hoc feræ poſſunt efficere ab hominibus aſſuefactæ atque edoctæ, homines qui illas docuere, non poterunt? Quæ, obſecro, tam tenuis anicula eſt, quæ bidui ac tridui inediam non ferat? Cibum ſi aratori ant mulioni unum diem ſubtraxeris, hominem penè iugulaueris, tantum in omni re con-

ſuetudo

ſuetudo ualet. Pueri Lacedemonæ in Dianæ ſacris uſque ad ſanguinem cæſi: nullam omnino uocem emittebant. Nullus uel mediocris gladiator cum uulneraretur unquam ingemuit, aut ſignum aliquod doloris oſtendit: aut arma recipere iuſſus pugnam detrectauit, ita ut ſæpe in extremo ſpiritu poſitus rogari dominum iuberet, nunquid adhuc ſibi ſatisfactum eſſet. Quod ſi uel pueri, uel extremæ ſortis homines, ut uel uanæ ſuſpitioni, uel hominum uoluptati ſatisfaciant, ſanguinem effundere, plagas & uulnera quàm plurima perferre non uerentur, nos ratione atque humanitate præditi, & in omniũ oculis conſtituti, utilitatis noſtræ gratia paruum dolorem, aut exiguam ægritudinem tolerare dubitabimus? Sed omittamus ueterum exempla, quæ quum è noſtra memoria remotiora ſint, tanquam à ſcriptoribus ficta minus mouent. Non'ne *hodie permulti in* Theſſalia *et* Græcia *uniuerſa ſacerdotes, qui* Veuiſsi *patria lingua appellantur, nudi bruma tota, per altiſsimas niues glacieſq; incedunt, ingenteſq; ipſius glaciei laminas complexi, pectori admouent? nudiq; in nuda humo ſemper dormiunt, ut Ioannis* Baptiſtæ *uitam & auſteritatem imitentur?*

Quid

Quid Turcæ quos tu Rex ſæpe uiciſti: Non'ne ſe cera, aut pingui, aut pice liquefacta uſtulari torreriq́, nulla emiſſa uoce patiuntur? Non'ne ſe adactò per longitudinē corporis palo totos traijci ſine ulla doloris ſignificatione permittunt? Quid ſubditi tui Rex, quos tu incredibili iuſtitia & ſeueritate compeſcis, non'ne ita ſe interdum etiam à rotis plauſtri contundi effringiq́ ſinunt, ut uix ullum inditium doloris oſtendant? Quid obſecro ad hanc pacientiam, quid ad hanc conſtantiam addi poteſt? Quod niſi omnes hij longa conſuetudine, in tormentis & doloribus obduruiſſent, tolerare profectò has pœnas atque hæc tormenta non poſſent. Hoc igitur aut agreſtibus monachis, aut flagitioſis hominibus, aut ueræ religionis expertibus conſuetudo dabit, ut ſua corpora omnibus cruciatibus, tormentisq́ obijciant, nobis ut leuem capitis, aut ſtomachi, aut pedum dolorem feramus, eadem conſuetudo non dabit? Turpè profectò eſt, & omnis ſapientiæ profeßione indignum, cum qui præſtantißimos homines in maximis rebus ſuperauerit, à uiliſſimis in re minima ſuperari, & qui cæteris in rebus ſe inuictum præſtiterit, in hac una ægritudine uinci uelle

ci uelle. Ac de conſuetudine quidem & exercitatione dixiſſe ſatis uideor. Supereſt nunc ut de ratione dicendũ ſit, niſi quid uos ad hæc uultis. MATH. *Nos'ne tam ſuauem orationem interpellemus? perge amabo* Petre, *ut cœpiſti, uideor enim oratione tua maiorem immodum leuari.* PET. *Pergam. Animus igitur noſter, quem multiplicẽ habere poteſtatem ſupradiximus, in partes omnino diſtributus eſt duas, earum altera rationis eſt particeps, altera expers.* Q*uæ particeps eſt rationis, nobis ad regendũ atque imperandum eſt data, animoq; uniuerſo præpoſita, ut ea duce quæ recta & honeſta ſunt dijudicemus, eaq; omni ſtudio expetamus. Hæc uitæ noſtræ* Dux *& magiſtra, nos ad eam traducendam conſilio, prouidentiaq; inſtituit, ue iq; perſpiciendi auidos imprimis reddit. Hæc nos orationis uinculo conciliatos ad uitæ communionem ſocietatemq; congregat, congregatosq; legibus, inſtitutis, commertijs officijsq; conſeruat. Hæc eadem nos in periculis alacres, fortes in aduerſis, in laboribus patientes, in omni re inuictos, & humana contemnentes facit, hæc denique nobis quid ſit ordo in uita, quid modus, quod in una quaq; re decorum ſer-*

uandum

uandum oſtendit, noſq́; in omni uitæ parte continentes & temperatos præſtat. Ab his igitur partibus, quum illud quod rectum honeſtumq́; appellamus, tanquam à fontibus quibuſdam oriatur atque emergat, uirtutes omnes proficiſcuntur, & in hac quàm diximus animi parte conſtitutæ, noſtram uitam omni laude, omni honeſtate, omni deniq́; dignitate exornant. Ea uerò pars quam expertem diximus eſſe rationis, quũ à ſenſibus tota pendeat, quod ſemel bonum eſſe exiſtimauit, eo toto impetu fertur, eo uim ſuam omnem & cupiditatem transfert. Quod contrà malũ ipſa utcu'nq́; iudicauit, id omni ſtudio repellit ac reijcit, id ſumma ui, ſumma temeritate inſectatur. Hinc *omnes cupiditates, omnes perturbationes, omnes animi non motus tantũ, ſed morbi quoque ægritudinesq́; naſcuntur. Quum igitur pars hæc rationi ita aduerſatur, ita repugnat, ut illa uicta proſtataq; iaceat, ipſa præſit ac dominetur, breui corpus atque animum uirilem, aut auaritia, luxuria, cupiditatibusq́; effœminat: aut ira inſolentiaq́; inflammat: aut mœtu & dolore proſternit. Quum autem ratio temeritatem ita cohibet, ita cohercet, ut ipſa ſuperior ſit, ipſa animo moderetur*

atq;

atque imperet, eum omni uirtute, omni dignitate ac laude exornatum. ad benè beateq́; uiuendum inſtituit, ad gloriam & immortalitatem rapit, recta deniq́; in cœlum ducit. Quæ quum ita ſint, poteſtis, obſecro, dubitare, rationi an temeritati obſequi & parere malitis? Non'ne *ut huic obtemperemus, ut hanc ſequamur, omnis ægritudo ſuperanda, dolor omnis contemnendus eſt. Quid porrò uobis eam dicturum exiſtimatis? decumbe in lectulo, indulgè ualetudini, negotia curasq́; omitte, euita dolores, profectò non ita dicet. Quid ergo? uince magno atque excelſo animo molliciem ac ſegnitiem, ægritudinē, dolorem omnem turpidine atque infamia leuiorem puta. Ea quæ aut honeſta aut neceſſaria eſſe intelligis, nulla doloris aut ægritudinis aſperitate uictus deterritusúe omittas, quem uincere dolorem medicina non potes, contentione animi & patientia uince.* H*æc tibi ratio dicet, hæc ſuadebit, hæc omni ſtudio perſuadere conabitur.* Et *profectò ſi uerum fateri uolumus, rectiſſimè ſuadet.* Q*uod ſi nos ipſos amamus, ſi nobis rectè conſulere uolumus, eſt ſine dubitatione audienda.* Nam *cum ab omnibus honeſtatis partibus laus & gloria proficiſcatur, ex*

ea,

ea præcipuè ducitur quæ fortitudo nominatur. Omnes enim id potiſſimum admiramur, quod fortiter, quod conſtantet, quod magno animo factum eſſe intelligimus, eòque maximè delectamur. Quid eſt autem quod ita exigat conſtantiã, ita exerceat animi magnitudinem, inuictum illud fortitudinis robur ita deſideret? ut ægritudo, ut dolor, quippè qui non corpus modò ſed animum quoque deijcere & labefectare contendat. Quid igitur eſt quod maiorem nobis laudem ac dignitatem afferre queat, ſi ei excelſo & inuictò animo reſtiterimus? Quũ uerò nihil ſit quod à natura tantoperè cupiamus, quàm honeſtatem, quàm laudem, hanc profectò unam uirtutem, unde laus maxima & clariſſima ducitur, & appetere omni ſtudio & exercere debemus. Eius porrò quum potiſſimam eſſe laudem intelligamus ægritudiuem ferre, dolorem tolerare, quæ obſecro tanta uis doloris, quæ tanta moleſtia ægritudinis poteſt eſſe, ut eam non magno, atque inuictò animo perferre uellè debeamus? Dicerem nos ultro ægritudini occurrere, & ut tantam ex ea laudem conſequeremur, eam etiam affectare debere, niſi uererer ne nimis in nos ipſos durus atq; inhumanus exi-

ſtimarer. Multi *tamē è ueteribus illis* Romanis (*à quibus tu* Rex *quum originem ducas, degenerare non debes*) *non modò dolorem, ſed mortem quoq; omni dolore grauiorem, hac animi magnitudine & præſtantia ducti, cupidiſſimè appetiuêre. Quid enim quæſiuit aliud fortiſſimus ille* Mutius, *quum & ad* Porſenam *trucidandum contenderet, & manum igni ultro impoſitam cremari conſtantiſſimè pateretur? quid, inquam, quæſiuit aliud niſi ut conſtans atq; inuicti animi putaretur? Quid* Cocles *ille* Horatius *ſibi uoluit aliud, cum & uniuerſis ſe hoſtibus in ponte ſolū oppoſuit, et eò reſciſſo ſe cū armis omnibus in fluuiū præcipitauit, niſi ut hanc fortitudinis laudē aſſequeretur? Quæ uis* Curtium *in terræ hiatū cum armis inmiſit? Quæ uis tres* Decios *Patrem, filiū et nepotem hoſtibus deuouit? Quid uerò* Valeriū Coruinū *gentilem tuum* Rex *ad ſingulare illud* Galli *certamem incendit, non'ne incredibilis quædā animi magnitudo, cuius ille præcipuè laudē appetebat? Poſſem uobis innumerabiles alios cōmemorare, qui huius unius uirtutis cupiditate flagrantes, aut maximos cruciatus, aut mortē acerbiſſimā ultrò ſubiere. Quid ſi hoc quoq; à uobis exigerem? non'ne*

non'ne multo grauius uobis et difficilius uideretur, ſed nō hoc exigo, non hoc depoſco. Non *hoc poſſumus dicitis, ego quoq; quod nō poteſtis nō peto, ſed illud peto, non modò quod poteſtis, ſed quod commodiſſimum uobis, & facillimum eſt, ut dolorem et uenientem non timere, & præſentem æquo animo ferre diſcatis.* Comparate, *quæſo, uobis hanc fortitudinis et pacientiæ laudem, quæ quidem tanta eſt, ut cæterarum uirtutum laudes longè antecellat.* Nā *quum omnes rectæ animi affectiones uirtutes nominentur, hæc una cæteris tantum excellit, ut & hoc ſibi nomen ut proprium uēdicauerit, & ab hac cæteræ omnes, uirtutis nomen acceperint. Cum enim uiri maximè propria ſit fortitudo, ab eo, ut ait* Cicero, *uirtus appellata, eius porrò duo ſunt præcipua munera, mortis dolorisq; contemptio: utendum eſt igitur his, ſi uirtutis compotes, uel potius uiri uolumus eſſe, quoniam à uiris nomen eſt mutuata.* Q*uanquam autem hoc proprium munus eſt fortitudinis, ut dolorem contemnamus, ægritudinemq; omnem patienter moderateq; feramus, uirtutes tamen omnes ita coniunctæ interſe et connexæ ſunt, ut ſi unam amiſeritis, aut ſi amitti uirtus non*

poteſt, ſi unam confeſſi fueritis uos nõ habere, nullam ſitis habituri. Neque enim ita in uirtutibus ut in uaſis, aut ueſtibus accidit, illorum enim ſi unum aliquod amiſeris, reliqua habebis, uirtutum ſi una tibi defuerit omnes deerunt. Quo enim pactò poteris aut tibi alijsq; proſpicere, aut in rerum inueſtigatione uerſari, ſi ægritudinis moleſtia, & dolore uincaris? Iuſtitia quomodò coli poterit ab eo, qui doloris magnitudine ſuperatus, detegat commiſſa, cõſcios prodat, iuſiurandum & fidem frangat, cætera ſocietatis humanæ conſilia deſerat? An uerò moderatè quicquam aut continenter faciet, qui dolorem non feret? conſtans certè, aut grauis, aut patiens, aut magni animi, aut deniq; uir dici nullo modo poterit. Epicurus quidem qui dolorem malorum omnium extremum eſſe cenſebat, quodam loco ſapientem affirmat, ſi uratur, ſi crucietur, ſi in phalaridis tauro ſit dicturum, quàm hoc ſuaue eſt, quàm hoc non curo. Quodquidem ſi à Stoicis diceretur, non ita mirum eſſet, quippè qui id ſolum quod honeſtum eſt bonum, quod turpe eſt id ſolum opinentur malum. Epicurum uerò doloris præcipuum hoſtem, non'ne mirum atque incredibile eſt ita loqui? uideamus.

mus tamen quam huius ſententiæ rationem afferat. Si ſummus, inquit, eſt dolor breuẽ eſſe neceſſe eſt, breue autem quod eſt, tolerari facile poteſt. Sin longior eſt futurus leuior, & propterea tolerabilior erit. Omittamus, obſecro, tã durã auſteramq́; ſententiã, neq; cũ Epicuro ſapientes eſſe uelimus, ut ſuauẽ eſſe dolorem & iucundum dicamus, exiſtimemus id quod eſt, moleſtã eſſe ægritudinẽ, dolorem aſperũ, durũ, difficilẽ, et qui uix ferri tolerariq́; poſſit, ſed eũ patientia, animi magnitudine et contentione, uincendũ eſſe ducamus, Qui ſi quãdo grauius urgeat, reuocemus omnes animi uires, animũq́; ipſum quaſi arcũ quendã fortius intendamus, neq; uirili cuidam gemitui interdũ parcamus non qui dolorem exprimat, ſed qui animũ erigat atq; intendat. Sicut enim qui curſu aut ſaltu certant, clamore quodã ſe incitãt atq; inſtigant, et ad certamẽ alacriores reddũt, ita qui cum ægritudine & dolore contendunt, uoce quadam uirili animi uires excitant atque inſtaurant. Ne patiamur ergo remitti animũ, & ab ægritudine opprimi, Quemadmodum enim qui pondus aliquod ferunt, ſi uires paululum remiſerint, è ueſtigio ſuccumbunt, & ab ipſo pondere opprimun-

tur, ita qui in dolore ſunt, ſi animum aliquantulum relaxauerint, ſeq; deiecerint, à doloris ui et magnitudine proſternuntur, adeo ut quũ ſe erigere uolunt nõ poſſint. Mollities igitur animi omnis reijcienda eſt, fortitudo reuocanda. Si quando tamen nos deficere ſentiamus, illa quæ Cicero *appellat doloris arma capiamus, contentionem, confirmationem, ſermonẽ, quo nos ipſos nunc adhortemur, nũc corripiamus. Caue quicquam turpe, quicq̃ te indignũ facias, quin te ipſum uince, tibi impera, à tui ſimilibus ne degenera.* Obuer*ſentur deinde animo clariſſimorũ uirorum ſpeties, proponamus nobis* Alexan*drum illum* Magnum, *qui cum telum è corpore ſibi euellendum, atque ob id uulnus dilatandum eſſet, ſe alligari uetuit, timentemq; ultrò* Medicum *ut ſecaret eſt adhortatus.* Proponamus Zenonem Eleatẽ, *qui perpeſſus eſt omnia potius quàm conſcios delendæ tyrannidis indicaret.* Proponamus Calanum *illum* Indicum *ad radices* Caucaſi *natum, qui uiuus ſua uoluntate combuſtus eſt.* Proponamus. C. Ma*rium qui cum ſecandæ ei uarices eſſent, primus* Ro*manorum omnium ſolutus ſecari uoluit.* Proderit *non nunquam pudorem nobis turpitudinemq; proponere,*

ponere, nonnulli enim plus pudore quàm ullis præmijs profecerunt. Sed in primis proderit decus, honeſtatem. dignitatem, laudem oculis ſubiectam habere, qua optimus & generoſiſſimus quiſq; maximè capitur. Aphricanus quidem cum Socraticum Xenophontē libenter legere ſolitus eſſet, illud eius imprimis laudabat, quod diceret non æque graues eſſe labores Imperatoris & militis, propterea quod honos leuiorem faceret Imperatorium. Dicet fortaſſè quiſpiam. At abducit à rebus gerendis ægritudo: à quibus, obſecro, rebus te Rex abducit? Num à Regni adminiſtratione? at illud etiam in lectulo decubans adminiſtras, et ita adminiſtras, ut nihil quod uſquam fiat tibi incognitum ſit, nihil iniuſſu tuo geratur, nihil nō ad te referatur, nihil deniq; ſine tuo cōſilio adminiſtretur. An te à bellicis rebus abſtrahit ægritudo? non'ne tu et hactenus ſatis multa geſſiſti, & hodie quoque tuo auſpicio geris? An bella manibus tantum & armis geruntur, ac non potius conſilio, auctoritate, imperio? quarum rerum nullā tibi adimit ægritudo. Non'ne Fœdericus Vrbinas in extrema ſenectute conſtitutus, corpore etiam toto debilitatus & fractus, animo tamen conſilioq; in-

 uictus,

uictus, aßiduè uerſabatur in caſtris & bella grauiſſima gerebat? Quid eſt quod tu tuo conſilio & auctoritate gerere nunc quoque non poſſis? At caret uoluptatibus ægritudo. Quibus uoluptatibus? cibi, potus et Veneris? Iſtas quidem ego te nunquam appetiſſe imò ſemper fugiſſe exiſtimo, quippè quæ etiam ſanis fugiendæ ſint, adeo ut qui ſe ijs dediderit, mentis compos eſſe non poßit. De Regina *nihil dico, quæ et caſtißima et continenßima ſemper eſt habita. Illis uerò uoluptatibus quæ aſpectu, auditu, animo deniq; ipſo percipiuntur, quæ ueræ ſunt uoluptates, non modo non caret, ſed ſummis quoq; & penè aßiduis fruitur ægritudo. Quanta enim eſt uoluptas illa oculorum, quùm ſibi nunc terrarum tractus, arborum, frugum, animaliumq; uarietates, fulgorem gemmarum & cætera naturæ opera, nunc ſigna, tabulas, ædificia, cætera'que humani ingenij atque induſtriæ monumenta intuenda, & contemplanda ſubijciunt? Quanta eſt illa quæ auribus percipitur, cum aut muſicornm inſtrumentorum, aut humanarum uocum mira tum conſonaniia, tum uarietate, tum etiam ſuauitate detinemur? cum* Regũ, *Imperatorum, aut* Rerumpublicarum *res geſtas, uirtutes,*

tutes,inſtituta,ex alicuius uel facunda narratione, uel iocunda lectione audimus? cum ſiderum motus, cœli terræq́; naturam, humana deniq; & diuina omnia, uel ipſi legimus, uel aliò legente intelligimus? Quanta, bonè Deus, & quàm iocunda noſter animus uoluptate expletur, quũ hæc uidet, audit, contemplatur, intelligit? quàm ſuauis eſt ille cibus eius quàm uera & ſolida delectatio? Quid quum idem animus ante actam uitam ſibi proponit, ea quæ uidit, quæ legit, quæ geßit reminiſcitur, preſertim quum ea geßit, quæ recta ab omnibus & laudabilia exiſtimentur, cum ſibi ipſi in omnibus uitæ actionibus ſatisfecit. Quanta eſt, bonè Deus, et quàm ſuauis illa conſcientiæ uoluptas? quàm fidũ iudicium, quàm glorioſum teſtimonium? Nullum profectò, ut ait Cicero, uirtuti theatrũ conſcientia maius. Neq; uerò præſentium tanta bonorum animus benè inſtitutus uoluptate & ſuauitate perfruitur, ſed multò etiam magis ſpe atque expectatione futuræ illius beatitudinis, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec (ut inquit Paulus) in cor hominis aſcendit, illam optat, ad illam aſpirat, illius quantum poteſt contemplatione delectatur, illius iocundißima ſuauitate

uitate perfunditur. Cogitat enim quātæ dignitatis, quantæ fœlicitatis ſit corporis huius uinculis et carcere liberari, cupiditates, perturbationesq́; deponere, mortē non modo nō timere, ſed ne ſentire quidē aut expectare unq̄ poſſe, immortalem ſe æternūq́; fieri, cœleſtibus illis ſpiritibus, quos alij intelligentias, alij ſubſtantias ſeparatas, alij Græco uocabulo ἀγγέλους uocant, ſociū atq; æqualem effici. Auguſtiſsimā deniq; illā & diuinam lucem, omni ſimilitudine et comparatione maiorem, omnē ſermonem, omnē cogitationem, omnes mentis conceptus longè excedentē, non modo intueri, uerū etiam intelligere, et (quod ad ſummū beatitudinis culmē accedit) ſe eam ſine fine uiſurū atq; intellecturū ſcire. Quæ quidē cùm cogitat animus, non'ne incredibili quadā atq; immenſa uoluptate cōpletur? Non'ne ut ad eam quādoq; perueniat omnē ægritudinē doloremq́; contemnit, immò etiā expetit, præſertim cum illud Pauli ueniat in mentē, Nō ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ad has igitur tantas & tam ueras, et ſolidas uoluptates, quū ægritudinis aut doloris alicuius uos moleſtia uexat, animū, quæſo, reuocate, hæ Regibus

bus, hæ hominibus digniſſimæ ſunt. Cogitate, obſecro, hãc tantam cœli mundiq; molem, hunc ſiderũ ornatũ, fulgorem, motũ, ordinem, ueſtra cauſa conſtitutũ eſſe. Cogitate hunc aërem tam ſalubrem, tã purũ, tot uolucribus refertum, hoc tam immenſum, tam longè lateq; diffuſum, tam utiliter terram extraq; complectens mare, tanta piſcium copia & uarietate repletum, uobis eſſe procreatum. Cogitate hanc terram, tot arborum, frugũ, herbarumq; feracem, tot metallis, marmoribus, gemmis, tantisq; opibus grauidam, tot aquis ſcatentem, tot animalibus abundantem, tanta locorum, ac rerum omnium pulchritudine & uarietate diſtinctam, uobis ab Deo productam & conceſſam eſſe, ueſtro imperio atq; arbitrio eſſe ſubiectam. Intuemini deinde uos ipſos, ueſtrum corpus atque animum conſiderate, & in altero tam inſignem figuram, tam pulchram, tam artificioſam membrorum diſpoſitionem, tam inenarrabilem ordinem, tantas et tam incredibiles utilitates: in altero tam acutum & tam perſpicacem intellectum, tam amplã capacemq; memoriã, tam promptas atque admirabiles ſentiendi cupiendiq; uires, tam ſolertem diuinamq; rationem contemplamini,

uoſq;

uosque ipſos recordamini ad beatitudinem atq; immortalitatem eſſe genitos.Reuocate deinde ad uos ipſos animum, & ueſtra ſingillatim bona uobis in memoriam redigite. Cogitate uos clariſſimis maioribus eſſe natos, ampliſſimum,opulentiſſimum & pulcherrimum Regnum obtinere, plurimis & bellicoſiſſimis nationibus imperare, maximis opibus, ingenti ſeruorum multitudine abundare,in ſummo dignitatis gradu inter homines conſtitutos eſſe. Proponite uobis anteactam uitam uniuerſam, & res à uobis domi militiæq; fortiſſimè geſtas, tot nationes deuictas,tot captas urbes,tot confecta bella repetite. Recenſete ſuas uterque uirtutes. Tu Regina pietatem,pudicitiam,continentiam,modeſtiã, Tu Rex militarem diſciplinam,animi magnitudinẽ, prudentiã,iuſtitiam,æquitatem, clementiam,fidẽ, ambo uerò manſuetudinem, facilitatem,liberalitatem,magnificentiam,doctrinam, ſapientiam. Atq; ex his omnibus intuemini quandam in uobis fœlicitatis imaginem,quàm ſi oculis cerneretis uos maiorem immodum non modo delectaret, uerumetiam ad futuram illam beatitudinem inflammaret atque incenderet,alios certè in tantam ueſtri admirationẽ

adducit,

adducit, ut ex omnibus terris, non modo integri homines, ſed (quod incredibile dictu eſt) etiam cæci ueſtrarum uirtutum ſplendore, & fama ueſtræ fœlicitatis excitati, ad uos uidendos ſalutandoſq́; concurrant. Exiſtimate igitur uobis, & naſci optimum fuiſſe, et uiuere ſaluberrimum atque utiliſſimũ eſſe. Imitamini tum ueteres illos clariſſimos uiros, tum maiores ueſtros quorum omnium uobis exempla propoſui, et ad eam quam illi tantoperè ſibi comparare ſtuduerunt gloriam atque immortalitatem, toto animo & cogitatione properate. Aegritudinem autem & dolorem omnem ita uobis ferendum exiſtimate, ut quod multi uel metu, uel gloriæ cupiditate, uel conſuetudine, uel pudore faciunt, ut nullũ dolorem curent, nullum cruciatum reformident, nulla ægritudine moueantur, uos id ratione & uirtute adducti faciatis. Contendite quantũ poteſtis, & confirmate animum, eximiamq́; hanc patientiæ & conſtantiæ laudem adamate atque appetite, ne de uniuerſo uirtutum cœtu hæc una uobis deeſſe uideatur. Et quando proſperam pulcherrimè ſcitis ferrè fortunam, date operam ut etiam ſi opus ſit ferrè ſciatis aduerſam. Poſtremo æternam illam inenarrabilemq́;

narrabilemq́;

narrabilemq; beatitudinem omni fide, omni ſpe, omni cogitatione ampliorem, toto iam animo concipite, tota ſpe et cogitatione apprehendite, tota mente & fide expectate & credite fore, aut pro exigua & breui ægritudine, ſumma uobis & æterna ualetudo atque immortalitas, ab optimo & beneficentiſſimo omnium parente referatur. Hæc habui quæ tum de humanæ uitæ conditione, tum de tolerandæ corporis ægritudine, uobis in præſentia dicerem, non ingenio aut doctrina mea fretus, quod utrunq; tenue atque exiguum eſſe certo ſcio, ſed ueſtra auctoritate incitatus, ueſtroq; imperio penè coactus, magisq; ut uobis obtemperarem quàm quod huic muneri me ſatisfacere poſſe confiderem: inermem enim me atq; imparatum offendiſtis, ex tempore autem de his rebus diſputare, audaciæ potius & temeritatis, quàm doctrinæ & prudentiæ eſſe arbitror. Concedamus ſanè hāc ſiue ſcientiæ, ſiue ingenij laudem Græcis, qui eam expetiuère, ſeq; in ea re magnoperè exercuere, nos diligentiæ & & excogitationis laude contenti ſimus. Si tamen uobis in hac quoque extemporali diſputatione ſatisfactū eſſe exiſtimabitis, quorum iudicia meritò

maximi

maximi ſemper feci, ego me non mediocrem meæ diſputationis fructũ percepiſſe arbitrabor. Sin uobis ſatisfactũ nõ erit, uobis ipſis qui mihi hanc prouinciam demandaſtis imputare debebitis, ego utcunque ſit, ab hac culpa immunis ero. MATH. *Nobis'ne à tanta doctrina atq; eloquentia ſatisfactum nõ ſit? Immò Petre (ut de me dicam) ita me tua oratione conſolatus es, ita recreaſti, ita oblectaſti, ut non modo nullã dum te audirem ægritudinem ſenſerim, ſed ne in poſterum quidem ullam me ſenſurum ſperem, curatumq; abs te hodie me planè putem. Quã multa, bone Deus, et quàm memoriter dixiſti, quàm uerò latinè, & quàm ornatè, quàm copioſè res difficillimas pertractaſti, nunquam antè hac audieram hæc iſto modo dici, nec putabam dici poſſe tam latinè, tam eleganter, tam dilucidè. Tu uerò & res in Philoſophia grauiſsimas explicaſti, et eas orationis ſplendore & ubertate mirum immodum illuſtraſti, atque exornaſti, ita ut dum te audiebã uiderer imaginem quandã Ciceronis audire. Superaſti, profectò, Petre & opinionem meam, et uxoris de te prædicationem: Itaq; cui plus debeam neſcio, ſororóne, qui te ad nos miſit, an uxori, quæ te apud me commendauit,*

mendauit, an tibi qui noſtrũ omnium ſpem atq; expectationem tua ſapientia eloquentiaq; uiciſti. Atq; illis quidem ambobus quantũ debeam ipſe mihi conſcius ſum, tibi uerò tantum debeo quantum ſoluere opes noſtræ uix poßint. Tua enim opera fateor me hodie ab uniuerſa ægritudinis moleſtia in perpetuũ eſſe liberatum. Quamobrem & ago tibi ſummas, ut debeo gratias, & omnia erga te ſumma ac ſingularia ſtudia officiaq; polliceor. BEAT. *Me quoque Petre quanta uoluptate affeceris dici non poteſt. Ita ut cum te ſæpenumero audierim nunquam antè hac uidear audiuiſſe, ita omnes diſciplinarum fontes hodie demum reſeraſti, omnes eloquentiæ habenas effudiſti. Tuam uerò ſententiam ita laudo, ita accipio, ut exiſtimẽ non minus me quàm Regem ipſum eſſe tua oratione & conſolatione, contra ægritudinem & dolorem omnem confirmatam atq; munitam. Tibi itaq; non tua modo ſed mea quoque & mei patris cauſa magnoperè gratulor, quod Regi et coniugi meo, immò (ut uerè dicam) parenti altero tantoperè ſatisfeceris, mihi quidem certè ſatisfeciſti plurimum. Quapropter meo quoq; nomine magnas tibi gratias & ago & habeo, Spera autem utrunq;*

trunq́; noſtrum (ut tibi etiã pro Rege *pollicear) cũ mulatam tibi propediem gratiam relaturũ.* PET. Obruitis me *profectò ambo & opprimitis ingenti atque incredibili humanitate ueſtra.* Vix enim *ferre poſſum, ut quib. ego mea omnia debere me ſcio, illi mihi & gratias agant, & plurimum debere ſe dicant.* Breui *itaq; ambo ſic habete totum me quantuſcunq; ſum & ueſtro beneficio eſſe, & à uobis pendere.* Orationem *uerò noſtram iocundam uobis aut gratam accidiſſe, magnam uobis habeo gratiam, mihiq́; ſatis amplum mei laboris præmium uideor eſſe conſecutus.* Quod *autẽ miraris* Rex *hæc latinè dici potuiſſe, ſic uelim exiſtimes, nihil eſſe tã horridum tamq; incultum (ut ait* Cicero *) quod nõ ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur.* Sed *& noſtræ & ſuperioris ætatis homines, cum neq;* Græcas, *neq;* Latinas *literas ſatis ſcirent, et eſſent ingenioſiſsimi, philoſophiæq́; in primis ſtudioſi, res utcunq; ſecuti ſunt, uerba contempſerunt.* Cõ*fluente uerò in dies magis ad id ſtudium multitudine, breui effectum eſt, ut* Philoſophia *omnium diſciplinarum parens atq;* Regina, *quæ antea luculentiſſima & ornatiſſima erat, ſordida, inculta & plane bar-*

nè barbara efficeret. Quod quidem meo iudicio eſt peruertere Philoſophiam non diſcere, eam' que non illuſtrare, ſed ſitu tenebriſq; inuoluere. Atq; *hanc imperitiam ſuam, barbari atque ignari literarum omnium ita tutantur, quod dicant ſe res ſequi uelle non uerba, neque quod paucis expediri poßit pluribus dici oportere, ideoq; non eſſe* Rethoricem Philoſophiæ *neceſſariam. Quorũ quidem ſtultißimis rationibus ego aliò tempore & quidem accuratè reſpondebo, oſtendamq;* Philoſophiam *ſine oratoria facultate, ſtultam quandam et circularem ſeu triuialem diſciplinam eſſe.* Nunc *autem oſtendere tantum uolui,* Latinè *et eleganter pronũciari poſſe. & ueterem illam* Ciceronis *in diſputando (quantum in me fuit) conſuetudinem reuocaui.* MATH. Video *te id quidem eſſe iam aſſecutum, & cupio primo quoque tempore te audire* Rethorices, *quam ego ſemper amaui, uituperatoribus reſpondentem.* PET. *Tu uerò poteris id cum uoles audire, nunc quoniam aduesperaſcit, & ego uobis ſatis ſuperq; moleſtum fui, dare ueniam garrulitati meæ, eamq; tum ætati iam ingraueſcenti, tum* Siciliæ *patriæ, tũ ueſtræ humanitati adſcribite. Vos itaque corpora,*

curabitis,

curabitis, ego me domũ recipiam. MATH. *Nullũ mihi iampridem ita iocundum & fortunatum diem actum eſſe, uerè poſſum affirmare. Proinde Petre fac in poſterum frequentius ad nos uenias, ut liceat quàm plurimos dies tua opera lætos agere.* BEAT. *Dica te & pignore cogemus, niſi ſponte ueneris Petre. Nam hi quidem dies, albo calculo ſignandi ſunt.* PET. *Non committam ut me diu ſitis deſideraturi Valete.*

DIALOGI DE HVMANAE VITAE CONDITIONE, LIPPO BRANDOLINO AVTHORE FINIS.

AYMARVS FALCONEVS THAVTANVS BENEVO

lis candidisq; Opuſculi huius ſuſceptoribus ac lectoribus plurimam Salutem.

NVPER cùm grauiſsima periculoſiſsimaq; ægritudine laborarem (uiri amantiſsimi) etiam prolixo ac diutino languore maceratus inſuper & perpetuis uigilijs penè confectus eſſem, hymbrifera quadam nocte altiores, ut ſolet, ſomnos ſuadente: ut primùm oculi lento ſopore nutare cœperunt, ecce neſcio quo modo ingens apud me cœpit agitari diſsidium, morte ſcilicet peracriter cũ uita rixante, atq; ut uidebatur, pertinaciter pugnante & quidem magnis utrimque contentionibus res gerebatur: ſiquidem uitę Natura, morti Philoſophia patrocinabatur. Itaque natura ipſa humanæ uitæ fauendum eſſe, quantis maximè poterat uiribus ſuadebat, atq; ut illi omninò conſuleretur ſummoperè euincere conabatur, mortem ob id dictans pro hoſte habendam, quòd illa in humani generis perniciem graſſari nuſquam intermittit: contrà non uulgaribus mortem laudibus Philoſophia effe-

rebat, uitamque impenſiore dicendi copia multis obiectis caſibus uituperare nitebatur. Inter hæc ego anceps conſilij hærebam animo, & quo me uerterem, uel cuinam parti accederem, aut in quam potius deſcenderem ſententiam, non ſatis perſpectum habebam, neque ullus uſquam exitus accommodatior apparebat, quàm ut totius huiuſce negocij ſumma in Dei arbitrium referretur. Porrò ne ſuſpenſo hunc in modum decreto inteſtinis ſimultatibus & domi & foris ſemper omnia fluctuarent, rationi permiſſa eſt iudicandi facultas: ut quicquid illa ex bono & æquo potiſsimùm hac in re cenſeret, ſua authoritate decerneret atq; pronunciaret. Hæc igitur mox pro tribunali conſidens, indicto omnib. ſilentio ita ſanciuit: Aequũ quidem uideri, ut humanæ uitæ ab unoquoq; faueretur, neq; ullo pacto naturæ iniuria fieret, cæterùm mortem ipſam minimè in hoſtium numero eſſe habendam, quin læto potius hilariq; uultu, aut æquo animo, cùm illa Dei uoluntate inciderit, perferendam. Cui ſententiæ cũ ab omnibus eſſet aſſenſum, ſopita controuerſia eſt. Ego uerò rem omnem ſæpenumero mecum ipſe tacitus expendens poſteaquam æterni parentis beneficio, nec non clariſsimi & undequaq; doctiſsimi uiri Hieronymi Montui egregia opera priſtinæ incolumitate fui reſtitutus, crebris meditationibus atq; commentationibus, quantum licuit,

hoc

hoc unũ aſſequi & mihi cõparare ſtudui, ut ad uitæ mortisq́ conditiones ſolito paratior, & ad utrumq; ſtatum expeditior in poſterum inuenirer. Planè quoniam mortis caſus qui tandem ſine effugio eſt, omnibus penè hominibus durior uideri ſolet: isq; maximè præſentaneum expetit conſilium: idcirco libellum hunc de exhilaratione ac roboratione cordis contra metum mortis ſermone perquàm familiari mihi & quibus Opuſculum ipſum placuerit, ac gratum fuerit, conſcripſi, collegiq́ e ,iſtimans, lecto eo non mediocres caducis quibusq́ mentibus uires acceſſuras, quærenda certè ſunt trepidis ſolatia, & optimarum perſuaſionum propinatione demendus illis terror: Namque in timidos audacior mors eſt, illosq́ acrius infeſtat. Scio iam pridem in hanc rem multa à doctiſſimis quibuſdam uiris fuiſſe prodita: uerùm illis altiora perſequentibus, nos humilia ſectabimur: ipſa quoq; lectionum uarietas tædium prohibere poterit ſpiritibus inimicum. Cum autem hic neq; gloriæ, neque oſtẽtationis ullum ſit aucupiũ, ſed omninò ad legentiũ hæc inſtituta ſint profectum: nemo, opinor, ſe mihi ullla ratione prębebit infenſum, aut me temeritatis arguendum cenſebit: quæ etenim inuidia eſt, ſi humilioris ingenij homines, ne ſemper nihil facientes ſint, aliquando nonnulla ſcripſerint, quæ hominibus familiaria quędam exoptantibus quoquo pacto profutura creh 4 dantur.

dantur. Nec uerò mihi quiſquam improbè dentatus impinguat, quòd ea quæ aliena ſunt, crebrius hic interſeram, quaſi aliorum opibus ipſe locupletari non erubeſcam, utinam uel ſic locuples eſſem: nuſquam profectò fructum quempiam ob id quiſquam ſapiens ſumere recuſabit, quòd ex alienis inſitionibus prouenerit. Cæterum ego nihil mihi arrogo; hoc unum tantùm cupidiſsimè ambio, ut ſpinis coronato Regi, cui Opera mea dicata ſunt, placeam; atq; identidem mortalibus omnibus pro mea uirili proſim, nemini noceam. Valete tandem, & in uita & in morte fœlices. Ex Antoniano Cœnobio Idibus Maij,

M. D. XLI.

FAMILIARIS COLLOQVVTIO DE EXHILARAtione animi, quem metus mortis angit et excruciat, fragantiſſima profectò undequaq; pietate redundans: Interlocutores, Almaricus & Thautanus.

ALMARICVS.

EFFECISTI *tuis optimis conſilijs, amantiſſime Thautane, ut qui pridem rerum aduerſarum tædio fractus animum penè deſponderam, meliore ſubinde amplexa ſententia humanæ conditionis ſortem utcumq; tolerare non recuſem: ac profectò inſtauratis iam bona ex parte rebus, gratiſſima quædam anguſtioris fortunæ blandiorisque ſpei aurora tuo potiſſimè poſt Deum beneficio mihi affulgere cœpit. Sed ut tibi pectoris mei ſecretum ingenua profeſſione reuelatum aperiam, frequens & importuna quædam mortis recordatio ſerenitatem omnem animi mei penitus obtenebrat, & neſcio qua amarulenta ſuffuſione quantumuis gratorum ſucceſſuũ*

 dulcedinem

dulcedinem uitiat atq; corrumpit, ac quicquid eſt iucunditatis nec non hilaritatis in uita triſti felle conſpergit: ſed, & quod moleſtiſsimum eſt, ipſum quoque quietis tempus uanis imaginibus efficit inquietum. Itaq; cùm ipſe ſolitarius (quamquam memet in omnia uerterim) faſtidium hoc nulla ratione excutere ualeam, leuãdi animi gratia nunc huc ad te ſum profectus: ut, ſi quo tandem fieri poſsit modo, amaritudinem hanc tua ſuauiſsima confabulatione ualeam dulcorare. THAVT. *Multis in rebus amaritudo uim medicã obtinet ſuauiſsimè Almarice.* ALMAR. *At illa tamen palato ingrata eſt, ob idq;, dum ſumitur, frontẽ corrugare compellit.* TAHVT. *Satius eſt animo benè ualere, quàm palato: ei frequentius uſu uenit, ut id quod palatũ contriſtat, cætera mẽbra lætificet.* ALMAR. *Hoc ipſum inficiari nolim. Sed quid ad bonam mentẽ uel proſperam animi ualetudinem facit triſtis amarulenta'que cogitatio?* THAVT. *Hoc pro uarijs rerum circumſtantijs atq; ipſa morborum animi differentia æſtimari oportere in confeſſo eſt: uerum plerumq; ea quæ auſtera ſunt, miro quodammodo ualetudinem procurant, non corporis tantùm, ſed*

etiam mentis. ALMAR. *Ergo ſemper nobis amara ſorbenda erunt, & in totam uitã quæ triſtitia ſunt hauriẽda.* THAVT. *Nõ rectè infers: ſi quidẽ, uti antè diximus, amaris rebus plerumq; ipſum cor lætificatur, in quo gaudij fomes lætitiæ penu, ac hilaritatis hoſpitium, eſſe non ambigitur.* Tantùm i*taq; abeſt ut mœſtum triſtemq; ſpiritum in homine probandum cenſeã, ut etiam* Chriſtianũ *quodq; re pectus ſpiritali gaudio & exultatione perpetuò retum eſſe debere audacter confirmem: ſemper enim homini* Chriſtiano *ingens occurrit gaudendi materia, dum ſibi apertam eſſe in cœlum uiam mente pertractat: quamobrem ipſe magna fiducia fretus, ſæpiſſimè propheticum illud carmen decantat. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domũ* Domini *ibimus. Triſtabitur quidem ille nonnumquã eo triſtitiæ genere quod ad ſalutem pertinet, ac* Diuinis *eloquijs conſentaneum eſt. Sed tamen idem ipſe in omni amaritudine, ſpectato rerum fine, non nihil gaudij uenabitur.* ALMAR. Q*uidnam cæteris in rebus uenari poſſimus, neſcio: at certe nõ admodum mihi probabile uidetur, ubi moriẽdi neceſſitas ante oculos obſeruatur ibi iucunditatẽ aliquã*

nos

nos uel uenari, uel aucupari poſſe: quandoquidem ſolo etiam nomine ipſa mors grauis eſt: & hæc, etiam ſi fugam arripere moliamur, crudelem tamen in modum nos perſequitur rapitq́ꝫ: &, utcumqꝫ habeat res, tandem in caſſes illius incidere cogimur: nullam quippe hîc ſpondet fortuna ſalutẽ: nec uſquam tutum eſt ab illa profugium, niſi fortè quod apud Meroën Taprobanamq́ꝫ inſulam (ſi credere dignum eſt) tamdiu uiuere dicuntur homines, quã diu uolunt: utinã hinc breuior eſſet in regionem illã traiectꝰ. THAVT. *Illic (ſi uera eſt fama) homines longioris uitæ ſatietate ac etiam tædio permoti in aliam regionem migrare coguntur, ut mortem ualeant inuenire. Ex quo intelligitur multis ſub cœlo illo degentibus mortem prolixiore uita uideri optabiliorem. Cæterùm aliam ferunt eſſe mundi plagam, in qua hi qui octo uel nouem nati ſunt annos, ultimam penè ſenectutem attigiſſe exiſtimantur.* ALMAR. *Hanc ego nolim mihi patriã eſſe: quid enim ea regione infœlicius poteſt excogitari, quæ fœtus ſuos non ſinit adoleſcere, uel in qua tantam ſibi Atropos graſſandi licentiam uendicat, ut uix dum natos ad necẽ rapere nõ uereatur?* THAVT.

In ha

In hac, quam diximus locorum uarietate, quænam earum prouinciarum fœlicior cenſeri debeat, non facilè quiſquam exiſtimauerit. Mihi quidem ager il le commendabilior uidetur, qui ſua fœcunditate præcocibusq; maturitatibus nec non frequentibus meßibus plus cæteris omnibus Dominica horrea complet: proinde (ni me mea fallit exiſtimatio) illa regio iure præſtantior debet reputari, quæ plures animas emittit in cœlum, quæque ueluti compendioſo calle, minimoq; diſcrimine ex pelagi iſtius flu ctibus homines perducit in portum. Certè quemadmodũ illis minimè aſſentior, qui ob humanæ con ditionis miſerias optimum cenſent non naſci: ſic il lis mea ſponte accedo, qui uilißimum iudicant ci tißimè his erumnis eximi: quandoquidem diutius hic immorantibus multa ingruunt, multaq; incom modorum ac periculorum diſcrimina quottidie imminent, quibus uel ſuſpenſa mens, uel attrita uita homines contabeſcere cogit. ALMAR. *Pace tua dixerim, ego hæc uerbis quidem probabiliora uide ri non abnuo: ſed tamen illa ad perſuadendum non ſatis uirium habere iudico. Quid enim operæprecium eſt naſci, niſi congruo quoque temporis ſpa*-

cio

cio hic liceat immorari, ipſumq́; in quem uenimus, locum agnoſcere & contemplari. Præterea *non* ,, *ab re* Hebræum *ſapientem dixiſſe puto:*Meliorem ,, *eſſe canem uiuum leone mortuo.* Itaq; *non abſurde mihi* Theophraſtus *naturã accuſaſſe uidetur, quòd tam breues hominibus uiuẽdi metas ſtatuiſſet, quorum maximè intereſſet diu uiuere, cum illa cornicibus ac ceruis, nonnulliſq́; alijs animantibus longiſsimum æuum conceßiſſet, quibus nihil opus eſſet uitam ad tot annos producere.* THAVT. *Parũ philoſophicè* Theophraſtus *de rerum parente natura quæri uidetur, cùm illa hominũ cauſſa omnia prouidis rationibus expẽſa ſtatuerit: quocirca animalium omnium longæuitatem ad noſtrã potius q̃ ipſorum utilitatẽ pertinere nemo ambigere debet: nempè uniuerſa quæ in mundo ſunt animantia non ſibi, ſed hominibus uiuere intelliguntur: humanæ autem uitæ periodum in ſingulis hominibus non niſi optima ratione ab æterno* Deo *uti maximè expetit, præfiniri quiſnam mortalium audeat in dubium reuocare? Quod ſi nos* Cratetem *imitati uitæ huius incommoda undequaque ſagaci obtutu*

circum-

circumſpiceremus, haud dubiè fateremur naturam nihil homini breuitate uitæ melius præſtitiſſe: Nã *& ſi ſecunda omnia applaudant, certè ut undecumque doctißimus* Plinius *inquit.* Ne *laceſcat fortuna, metus eſt: & quàm multos affluentia bona perdidere, atq; ultimis merſere ſupplicijs, alius quidem de alio iudicat dies, tamen ſupremus de omnibus.* I*deo'que nullis credendum eſt.* Scitißimè Princeps *ille* Poëtarum:

Optima *quæq; dies (inquit) miſeris mortalibus æui*
Prima *fugit: ſubeunt morbi, triſtisq; ſenectus,*
Et *labor, & duræ ſubit inclementia mortis.*

Rectè *etiam* Iob *ille iuſtus ac patientißimus ait:* Ho*mo de muliere natus, breui uiuens tempore, repletur multis miſerijs: qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit uelut umbra, & numquã in eodem ſtatu permanet.* Mihi *quidem olim optimi cuiuſdam* Antiſtitis *memorabilis illa uox fuiſſe uidetur, qui cum grauiter ægrotaret, atq; qui aßidebant conſolandi hominis gratia dicerent: bonam ſpem eſſe ut conualeſceret, uiueretq;: ita fertur reſpondiſſe:* Si *numquã migrandum ſit, benè, ſi aliquando, cur nõ*

modò? Igitur ſiue iuuenis, ſiue ſenex quis moriatur, quid refert? quandoquidem ut Seneca ſcribit, numerus annorum nec miſerum facit, nec beatum: mors quippé non ſcopulus, ſed portus eſt, ad quem ſi quis intra primos annos applicuerit, non quæri debet quòd minus uixerit, ſed gaudere potius quòd citò nauigarit: uana profectò diligentia eſt, quando numerus dierum computatur, ubi quæritur pondus. Certè inter tot calamitates, tot erumnas, tot procellas, tot clades, tot tẽpeſtates, quibus undiq; in hac lachrymarum ualle concutimur, uerſamur, trudimur, miſericordia Dei eſt citò occidere. ALMAR. *Meo iudicio totius humani generis cũ morte ſimultates et inimicitiæ altius inſedere, q̃ ut aliquibus uerbis pax conciliari poßit. Iam dudum nimis exulcerata ſunt odia, & profectò iuſtum eſt, ut illam inexplebilibus odijs proſequamur, quæ uniuerſo generi humano dietim pernitioſiſsime inſidiatur, nobiſq; rerum omnium chariſsimam uitam adimere ſatagit, et ad unum omnes extinguere molitur.* THAVT. *Falleris Almarice mi: hæc enim mors, quam tu tantoperè execraris, non hominis extinctionem, ſed coniunctarum tantum partium*

diſſolu

diſſolutionem efficit: & quod in nobis diuinum eſt, à terreno ſecernit: quodq́; rutilum ac ſplendens in præſentia latet, reconditum è uagina thecaq́; uel fictili uaſe educit. ALMAR. *Quid eſt igitur quod ſacrorum carminum* Vates *exultat inquiens:* Non *moriar, ſed uiuam, & narrabo opera* Domini. *Caſtigans caſtigauit me* Dominus, *& morti nõ tradidit me?* THAVT. Hoc *loco* Pro*pheticus ille* Rex *ob futuræ uitæ ſpem uerius quàm ob exilij huius protelationem exultaſſe credendus eſt, quandoquidem ipſe alibi de incolatus ſui prolõgatione ſubtriſtis ingemuiße legitur.* Ne*que uerò quum ille diceret ſe non moriturum, de naturæ defunctione ſenſiſſe exiſtimari debet.* Certò *nanque certius nouerat ſe aliquando hinc eſſe migraturum, & ad meliores ſedes ſe tranſiturum ſperabat: ſic enim aiebat.* Q*uemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te* Deus. *Sitiuit anima mea ad* Deũ *fontem uiuum, quando ueniam & apparebo ante faciem* Dei. H*æc recordatus ſum & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum* T*abernaculi admirabilis uſque ad domum* Dei. *Et alio lo-*

co, Reuertere anima mea in requiem tuã. Quibus ex uerbis apertè colligitur Prophetam ipſum de æterna animæ ſuæ uita, nec non de futura illius immortalitate ſpem optimam, ac ex ipſa ſpe ſummum gaudium concepiſſe. ALMAR. *Quid ergo hic de ſperata per Prophetam illum animæ ſuæ immortalitate audio?* Non'ne *animæ omnes rationales ab ipſa ſua creatione peræquè ſunt immortales?* THAVT. *Illæ quidem hoc uno modo ſunt immortales, quod creatæ nunquã eſſe deſinunt. Atqui ſanctioris doctrinæ traditione uita corporis anima eſt, animæ uerò* Deus. *Nec dubium quin propter animam corpus fabricatum ſit, anima autem propter* Deum. *Itaque uera animæ uita in ipſo* Deo *ſita eſt. Quia de re illa nequaquam uiuere exiſtimari debet, quæ à conditoris ſui gratia excidit.* Enimuero *ut creaturæ cuius benè eſſe poßit, neceſſe eſt illam ſui creatoris gratia atque beneuolentia recreari: quanquam enim ſemper ipſa ſit, uitam tamen habere non cenſetur, quæ in tenebris ſedet, diuinæq; illuſtrationis luce priuata exiſtit. Sed & hoc ipſum mortis genus quod animam à Dei gratia ſeparat, alteram tandem parit mortem, per quam*

perpetuis

perpetuis flammis impiorum hominum ſpiritus miſerabiliter addicũtur. Nulla *autem peior eſt mors, quàm ubi nunquàm moritur mors:* Neque *enim, ut* Diuus *ait* Auguſtinus, *uita dici poteſt, quæ nec uoluptate ſuauis, nec quiete ſalubris, ſed perpetuis cruciatibus pœnalis eſt.* Ergo *diuortiũ illud, quod animam à corpore, diuinumq; ab humano diſtinguit minimè formidabile eſt: ſed hoc potius expaueſcendum, per quod anima* Diuini *fauoris ſupernæq; gratiæ conſortio ſpoliatur, præſertim ſi eouſque proceſſerit contumacia, ut pœnitendi facultate præcluſa, ad iudicis tribunal imparatus homo rapiatur, hîc certè naufragoſus eſt ſcopulus, in quem impingere quàm maximè uereri debemus: et ne pro uanis ſeculi huius mercibus æternæ uitæ iacturam faciamus, tota contentione deuitare.* Quid *enim prodeſt homini (ut* Seruator *ait) ſi totum mundum ipſe lucretur, animæ uerò ſuæ detrimentum patiatur?* ALMAR. Quanam *maximè ratione quenquam tutè nauigare & ſcopulum hunc deuitare poſſe arbitraris?* THAVT. Hîc *latiſsimus eſt ad diſſerendum campus, ſi quis ſingula exactè perſequi uelit,* Sed *quoniam omnibus*

in rebus ſemper gratiora ſunt compendia: ut rem totam in exiguo concludamus, ac in arctum præceptiones contrahamus, paucis ea quæ ad hoc negotium pertinent, aperto (quantum potero) ſermone demonſtrabo. Quiſquis contra mortẽ hanc, quæ animam à Deo *ſeparat, & æternis tandem ſupplicijs hominem addicit, optimo ſeſe remedio communire deſiderat, huic, iacto primùm ſincerioris fidei fundamento, neceſſe eſt* Dei *timorem pariter & amorem pectori ſuo firmiter imprimere: his etenim cuſtodibus, rem in tuto futuram ſacratiſsimæ* Philoſophiæ *traditio confirmat.* ALMAR. *Id quod de amore dicitur, ſatis quidem mihi probatur: nanq; ipſe amor ingenuis mentibus ſemper conſentaneus eſt, quod uerò ad timorem attinet, nihil profectò hoc condimenti genere apud liberos homines inſipidius.* THAVT. *Abſurdũ eſt inſipidium exiſtimare hoc quod felicitatem operatur.* ALMAR. *Quænam, oro, ex timore felicitas eſſe poteſt?* THAVT. *Timor ipſe antidotariam uim habet, & quidem ſingularem contra hanc, quam diximus, animæ mortem. Itá que ille eo mortis genere minimè occumbere poſſe cre*

dendus

dendus eſt, qui Dei timorem altius pectori ſuo infixerit: aut enim eo permotus à delictis & flagitijs abſtinebit, aut ſicubi fortè lapſus fuerit, mox pœnitentia ductus exclamabit. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam: qua ex re periculum euadet, ipſoq́; propiciante Deo liberabitur, ac ſecurè uiuet, & tandem feliciter morietur. Sic enim in Eccleſiaſticis ſententijs diuina ſcriptura pronunciat: Timenti Dominum benè erit in nouiſſimo, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. Et iterum timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam & gaudiũ in longitudinem dierum. Atqui ne ipſe uana ſpecie decipiaris, hæc de timore illo accipienda ſunt, qui indiſſolubili ſodalitio amori coniunctus eſt. Siquidem alter per ſe non ſatis ad ſalutem efficax reperitur. ALMAR. *Minimè aſſequor differentiæ huius rationem, neque quibus finibus iſta diſtinguantur, planè intelligere ualeo.* THAVT. *Inter timorem illum qui cum amore nullam affinitatem habet, & eum qui dilectionem ſemper comitatur, hoc inter eſt, quòd ille cùm ſeruilis & ignobilis ſit, ſuppliciorum formidine ad obtemperandum mouetur; hic uerò inge-*

nua quadam præſtantia uirtutiſq; ipſius ſtimulis, & propoſitorum ſibi præmiorum deſiderio accenditur & concitatur. Porrò, *quemadmodum* Sancti *patres teſtantur, nuſquam niſi amando benè colitur* Deus. Hic *enim ut* Auguſtinus *ait: non ſeruiliter, ſed liberè colendus eſt.* Ipſe *ſiquidem omnipotens* (*ut diuo* Chryſoſtomo *uidetur*) *non à nobis timeri uult quaſi* Dominus, *ſed tanquam amantiſſimus* Pater *diligi.* Itaq; *ut idem ait:* Si *ab initio creati hominis cauſam conſiderauerimus, haud dubiè intelligemus, quod* Deus *magis ſe hominum* Pa*trem eſſe uoluit, quàm* Dominum. Q*uæ res profectò inæſtimabilem illius in nos gratiam & beneficentiam teſtatur & declarat, ac quantò nos illum amore proſequi debeamus, oſtēdit.* Cæter*ùm hæc ipſa, quam filialem uocant, dilectio probatiſſimo quodam timore non uacat, quandoquidem ſemper uerendum exiſtimat ne paterna reuerentia & bonitas improbiore aliquo facto offendatur, hic uerò timor in amore & charitate ſitus eſt, motumq; eius,* Auguſtino *teſte, dilectio perfecta conſummat, neq; in metu, ſed in obedientia uerſatur: ipſiuſq; ſancti caſti'que timoris teſtimonium eſt obſequium.*

quium. Certè, ut idem ſcribit, qui timore ſeruit, pœnam quidem euadit, ſed præmium non meretur: & ſi Dei mandatum timore potius pœnarum, quàm amore iuſtitiæ exequimur, ſeruiliter non liberaliter agere iudicamur. Ob idq; rem ipſam, nõ ut oportet, facimus. Enimuerò fructus ille à Deo minimè probatur, qui non ex charitate procedit. Equidem quantum ad opera attinet, quæ exterius apparent, & is qui pœnam timet, & is qui iuſtitiã amat, non contra mandatum faciunt. Et ideo hi quidem manu pares ſunt, ſed diſpares corde: ſimiles actione, ſed diſsimiles uoluntate: tunc quidem rectum cum Deo cor eſt, quando propter Deum ipſe quæritur Deus. Nemo quoque benefacere dicendus eſt, qui inuitus facit, etiam ſi bonum eſt quod ipſe facit: quia nihil prodeſt ſpiritus timoris, ubi non eſt ſpiritus charitatis. Inutiliter itaq; ille putat ſe eſſe peccati uictorem, qui pœna timore non peccat: & qui faceret quod uetatur, ſi pœna tolleretur, aut ceſſaret: quiq; ideo aliquid nõ facit, quia impunè hoc fieri non poteſt: nam quantum in ipſo èſt mallet non eſſe iuſtitiam peccata punientem. Et utiq; ipſe, ſi poſſet, illã auferret, ac per hoc

iuſtitiæ & honeſtati inimicatur: ſed & illum qui præcepta tradidit, ipſe ſi poſſet, tolleret, ne quem comminantem uel iudicantem haberet. Inimicus itaque eſt iuſtitiæ, qui pœnæ timore non peccat. At eum qui Deum diligit, & charitatem habet, nulla delectat iniquitas, etiam ſi proponeretur impunitas: & hic quidem ſummum bonum diligendo, ne Deus eum deſerat, timet: quamuis aliter illum non eſſet puniturus, & cùm alter ſupplicia metuat, hic eò tendit, ne Patris gratiam amittat. Igitur nullum fidei ac uirtutis meritum eſt in timore qui ex accidentium terrore proficiſcitur & commouetur. Hæc Auguſtinus. ALMAR. *Quantùm ipſe audio, minimè congruit terrificis incuſsionibus ad probitatis ſemitam ſeſe conuertere, uel timoris impulſu quæ recta ſunt operari.* THAVT. *Non admodùm magni refert qua quiſque primùm occaſione ad ſalutis uiam reuocetur, aut ueniat, modò ipſe generoſo ſubinde ſuccenſus amore: pullulanteq; charitate paternis iuſsionibus obſequatur. Nã & plerumque Deus ipſe terrores minasq; incutit, profert, congeminat, ut à morbo homines reuocet, & ad amplectendam bonitatem impellat: namq;*

terrendo

terrendo hoc ſolùm quæritur, ut proficiamus, & futura pericula caueamus, neq; enim, quod terreni Reges *faciunt*, idcirco Deus *ſe à mortalibus timeri uult, ut illius maieſtas glorioſior fiat, ſed ut eo quaſi ſigno hominum proteruia coërceatur, ſicque perpetuæ damnationis infelicitatem ipſi euadant:* Equidem *cernere licet quòd conitrua, fulgura, tempeſtates, terræmotus, peſtilentiæ, crinita ſidera: mortes repentinæ, & alia eius generis permulta ſemper fermè religionem incutiunt.* Certè *his tremefacti, quid alijs euenerit, quidq; nobis euenire poßit, conſiderare ac meditari cogimur:* Ad *quod etiã pertinet illa* Hebræi Philoſophi *ſententia. In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Et quod alibi legitur:* Si *multis annis uixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum: qui cùm uenerit, uanitatis arguentur præterita.* Et *rurſum aufer malitiam à carne tua: adoleſcentia enim & uoluntas uana ſunt.* Memento *creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ: antequam ueniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas non mihi pla-*

cent:antequam tenebreſcat Sol, *& lumen,et ſtellæ, & luna & reuertentur nubes poſt pluuiam: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ: & reuertatur puluis in terram ſuam unde erat:et ſpiritus redibit ad* Deum *qui dedit illum, cuncta quæ ſunt adducet* Deus *in iudicium.* Item *aliud in eandem ſententiam :* Fili *ſi habes,benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer.*Memor *eſto quoniã mors non tardat,& teſtamentum inferorum quod demonſtratum eſt tibi.* Non *defrauderis à die bono,& particula bonæ diei non prætereat ante obitum tuum:operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.*Sic *itá que obiecta ante oculos mortalitatis commemoratione,ſacratiſſimæ* Philoſophiæ *proceres,ad ſanctioris uitæ frugem,deprauatas hominum mentes frequentius reuocare conantur.* ALMAR.*Ipſa ergo quod minimè putaram , mortis memoria ſalubris eſt,& utilis ad ſalutem.* THAVT. *Quid ni? profectò melius eſt negotij ſcopum ac finem conſiderare & intueri, quàm principium: ipſe ſiquidem æternus* Deus *humanam redarguens inſipientiam ſacræ ſcripturæ labijs in hunc fatus eſt modum.* Gens

abſque

abſque conſilio & ſine prudentia eſt: utinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent: ſed et Hebraicæ Philoſophiæ magiſter nos his admonet uerbis. Audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam, & eſto ſapiens in nouiſſimis tuis. Diuinus etiam Plato totam Philoſphantium uitam non aliud eſſe dixit quàm mortis commentationem ſiue meditationem. Sanè, ut Hieronymus noſter, inquit, Ille facilè contemnet omnia, qui ſemper cogitabit ſe eſſe moriturum. Quibus ex rebus apertè colligitur incuſſi timoris calcaria non mediocrem ſæpè utilitatem nobis afferre, & ipſam præcipuè mortalitatis noſtræ recordationem in remedijs non contemnendis adnumerari debere. ALMAR. Memini in ſuperioribus abs te dictum fuiſſe properæ mortis, quàm uitæ longioris conditionem uideri optabiliorem: quod ſi uerum eſſet, minimè ſpectrum hoc mortis nobis ad terrorem ſcriptura obijceret, neq; appoſitè induceretur ad terrendum id quod exoptanda aliqua ſpecie commendabile uideretur. THAVT. Duplicem hæc res habet conſiderationem: quippè interdum pij homines ob ipſam mortis cogitationem mira quadam uoluptate perfun-

perfunduntur, dum ſcilicet magnitudinem præmiorum mente reuoluunt, propinquamq́; Dei uiſionem & fruitionem intenſius meditantur ac cœleſtem illam patriam intima ſpeculatione comtemplantur. Quod cùr fidelis quiſq; non faciat, cùm ab ethnico olim homine, ut refert Cicero, *magna fiducia dictum fuiſſe conſtet. O præclarum diem illum, cùm in illud animarum conſilium cœtumq́; proficiſcar & cùm ex hac turba & colluuione diſcedam. Certè, ut ſacræ litere perhibent, Iuſtus in morte ſua ſperat, & confidit: unde* Hieronymus *Mortis, inquit, requiē inter anguſtias flagitamus: igitur inter mala ſolamen eſt de bono cogitare, nauigantium more, quibus refrigerium eſt inter infeſtos & ſolicitos curſus de portus ſecuritate, & quiete cogitare, ad quam & ſi non liceat quantùm capiunt, celeriter peruenire, iuuat tamen meliores partes optare. Hac itaq; ſpectata rerum facie, omnis triſtitiæ materia ſubmouetur. Altero item modo mortis ſuſcipi poteſt cogitatio, ita ſcilicet, ut quis ſibi ante oculos ſtatuat eas, quibus ipſo incubat, uoluptates & delitias minimè futuras perpetuas, ſed aliquando morte finiendas ſimul, & de o-*

mnibus

mnibus illi ſubeundum eſſe iudicium: et ad hoc æternas ſibi, niſi reſipiſcat, pœnas eſſe præparatas. Hæc uerò conſideratio ſpeciem quidem habet incutiendi timoris, ſed re ipſa probè meditata facilè intelligitur terroris cauſam non tam in naturalis mortis defunctione, quàm in illius quæ animam à Deo ſeparat, infelicitate ſitam eſſe: prior namq; illa mors per quam naturæ tributum ſoluitur, ſi ſola ſit, & ab altera quæ ipſam iugulat animam exemptus homo reperiatur, nulla ex parte luctuoſam habet occaſionem: conſummata namq; hac peregrinatione mors patriam bonis accelerat, atque hanc demum improbis quoq; utilitatem affert, quòd malæ uerſationis tempus & facultatē illis adimit amputatq;, ac per hoc de futurorum ſuppliciorum grauitate plurimùm decidit, ut illis à pijßimo Deo hoc nomine benè conſultum uideri debeat, neq; enim (ut reor) uitæ ſtamina ijs breuiantur, quos (ſi uixerint) ad ſe aliquando redituros pœnitentiamq; acturos æterna prouidentia perſpexerit. Itaq; quòd cæteris in malitia confirmatis longiores induciæ negentur, hoc profectò non odium, ſed ſummi iuſtiq; Dei beneficium eſſe credendum eſt: ſatius enim

nim exiſtimari debet modici temporis uoluptate carere, quàm perpetuò ferendos poſt mortem cruciatus flagitiorum exaggeratione infœliciter adaugere. ALMAR. *Hæc certè mihi ſatis probabilia uidentur. Cæterùm uenit in mentem ſciſcitari, num illa uera ſit ſententia, qua pronunciatur illum nunquàm eſſe peccaturum, qui ſibi mortis ac nouiſſimorum ſuorum ſpeculum ante oculos ſtatuerit.* THAVT. *Hoc ipſum me Hercle ueriſſimum eſſe certiſſima rerum experientia confirmat: uerùm reminiſcentiam hanc neque momentaneam eſſe oportet, neq; leuiter animo impreſſam: Parum enim conferunt remedia, niſi tenaciter inhæreant, & congruo tempore immorentur. Prætereà uerba illa non ita accipienda ſunt, ut exiſtimemus, quòd is qui mortis memoriam animo gerit, non aliquando labatur: Nam et qui iuſtus eſt, ut ſacræ literæ perhibent, ſepties in die cadit. Sed quia ipſe extemplo reſurgit, idcirco nomen iuſti non amittit: qui enim citò redit, nequaquam diuertiſſe uidetur. Sic igitur is qui nouiſſimorum ſuorum memor fuierit, & de exitu ſuo cogitarit, aliquando certè labi, & peccare poterit, non tamen hoc inæternum procedet: quando-*

quandoquidem ipſe mox reparabitur ac reſurget. ALMAR. *Cùm tu ſuperiore ſermone mortis meditationem duplici facie ſpectari poſſe dixeris, in mentem uenit abs te requirere: quidnam in ea uarietate utilius uel efficacius ſit, cæleſtium'ne præmiorum ſpeciem intueri ac ſpectare, an uerò periculum æternæ damnationis mente reuoluere.* THAVT. *Vtriuſq; rei uim melius experimento per te ipſe cognoſces, probatoq; negocio pro tua prudentia utrum magis expediat, iudicabis.* Etenim *de his non una apud omnes eſt exiſtimatio: neq; omnibus omnia expedire credenda ſunt: frigentibus tamen præcordijs, ualidiores ictus terror ſolet incutere: namq; ille non homines blandè inuitat, ſed pigritantes adactis ſtimulis intrare compellit. Verùm hæc ipſa malæ manſionis & pœnarum conſideratio, tametſi nonnunquàm pro negociorum exigentia commodiſſimè adhibeatur: ſi quis tamen ea ſemper tangatur, nec niſi mortis ac pœnarum formidine ab illicitis actibus uſquam temperet: hic ipſe certè à uero ſcopo tota uia cenſebitur aberrare: ſemper enim meminiſſe oportet, ſeruili timori per ſe nequaquam eſſe immorandum: quandoqui-*

dem

quidem ut ex Auguſtini ſententia ſuperius dictum eſt. Nibil *prodeſt ſpiritus timoris, niſi accenſo ſubinde charitatis ſpiritu interioris hominis uiſcera concaleſcant.* Atqui ut Epheſinus Apoſtolus *ſcribit; ubi in* Chriſtiano *pectore perfectæ charitatis radices adoleuerint, illa foras mittet timorem, ipſumq; exulare compellet: charitatem autem definiunt eſſe uirtutem, qua* Deus *propter ſe, proximus uerò in* Deo, *& propter* Deum *diligitur: & hæc ipſa eſt per quam, iuncta fide, homines* Deo *placent, ac ſaluantur: nec dubium, quin ea ipſa gradibus quibuſdam auctior efficiatur & attollarur ſiquidem primùm incipientem, deinde proficientem, poſtremò quantum humana conditio patitur, perfectam illam eſſe dicimus.* Itaq; *quò magis illa accenditur, ac roboratur, hòc magis timorem longius propellit ac ſubmonet.* Equidem *ij qui charitate flagrant, arctiſſima dilectione* Deo *coniunguntur, ipſiq; in* Deo *manent, &* Deus *in illis: ideóq; ſiue ab illicitis abſtinere, ſiue bonis operibus incumbere ſtatuant, non terrore, ſed dilectione id exequuntur.* Cæterum *caſto ac ingenuo timore ſuadente ſemper ipſi ſibi uerendum eſſe proponãt,*

ne

ne æternum illum ac beneficum Parentem offendant, uel indigno aliquo facto ab illius gratia & beneuolentia excidant, aut quauis contracta culpa ab eius amore ſeparentur, ſicq; à propoſitis primis excludātur. ALMAR. *Non'ne hac in reipſa præmiorũ affectatio ſpeciem potius cupiditatis, quàm dilectionis præſeferre uidetur?* THAVT. *hîc illius, quem diligimus, æterni noſtri parentis fruitio præmium eſt, ſine qua certè fruitione animo noſtro, qui diuinitatis particeps eſt, omnia uileſcerent, nec illum unquam ſatiarent: proinde cùm ea quæ à fidelibus expetuntur præmia in* Deo *ipſo ſita ſint, haud dubiè illa nõ improbandæ cupiditatis notã, uerùm ſanctiſsimæ dilectionis et charitatis præſtantiam habere iudicantur.* ALMAR. Rem capio, *& iam dilectionis ac charitatis uiam, ſpreto illo qui ergaſtulis congruit timore, mihi amplectendam propono.* THAVT. *Hæc certè uia per ſe commodior ac fructuoſior eſt.* Cæterùm, *uti iam ſæpè diximus, nonnunquam ad hominum emendationem terror ipſe efficaciſsimus eſt: eoq; adhibito remedio, quàm plurimi mortales qui prius in præcipitium ferebantur, ab exilio retracti ſunt:*

quod Hieroſolymitanus ille Rex Ezechias fideli profeßione teſtari poteſt, ad quem olim Propheticа uoce, diuináq; iußione dictum eſt: Diſpone domui tuæ, quia morieris & non uiues. Cui tamen ſubinde ad parietem conuerſo, et profuſis lachrymis oranti diuina bonitas opitulata eſt: hoc quidem & uaſtißima illa quondam Niniuitarũ ciuitas prædicabit, quam Ionæ Prophetæ uerbis territam, moxq́; ad pœnitentiam conuerſam, ab interminato excidio Deus ipſe paterna pietate liberauit. Eſt in Aeſopicis fabulis, matrem quampiam infantulo fuiſſe minitatam, ni ipſe à fletu temperaret, ſe illum lupo obiecturam: quod cùm lupus audiſſet, prædamq́; ad multam horam expectaſſet, tandem puerulo ipſo quieſcente, nutrix ille blandiens ita aiebat. Si uenerit lupus, interficiemus eum, fili: quo audito mœſtus lupus abſceßit, inquiens: hic ea quæ comminata ſunt, facillima conuerſione reſcinduntur: quòd ſi ego materni in filium affectus immenſitatem propenſius conſideraſſem, minimè certè hîc tandiu expectando tempus contriuiſſem. ALMAR. *Hic apologus meo iudicio non inſulſam habere uidetur affabulationem.* THAVT.

Inſtitutus

Inſtitutus ſermo noſter illius ſenſu ſi quis apposité componere nouerit, rectiſsimè condietur. ALMAR. *Iam ego ex his ſatis percepiſſe uideor quàm utilis, quámque neceſſarius* Chriſtiano *homini ſit* Dei *timor, cuius procuratio ea ratione non admodum mihi difficilis uidetur, quòd etiam moroſos quoſq; timor urget ac corripit.* At *uerò longè alia eſt amoris in* Deum *propagatio: hæc enim nō tam facilè radices agit, neq; tam citò coaleſcit: huius namq; generis plantulæ apud pleroſque in ſumma tantùm, quod aiunt, tellure hærent, nec admodùm firmiter radicātur, quinetiam humoris defectu ſæpe marceſcere atq; exareſcere coguntur: quamobrem ad amorem ipſum tum excitandum, tum, ſi quando refrixerit, reparādum, magna, uti opinor, arte opus eſt.* THAVT. *Hæc res proculdubio bonam fœcundamq; mentē deſiderat.* ALMAR. *Quonam igitur modo is qui per ſe friget, uel ultra quàm par ſit tepidus eſt, amoris huius ardore inflammari poterit uel accendi?* THAVT. *Variæ ſunt ignium fomenta, quibus in* Chriſtiani *pectoris foco diuini amoris flamma copioſè poteſt excitari.* ALMAR. Ne *me, quæſo, celaueris, ſi quid*

ipſe in hanc rem noris accõmodatum. THAVT. *Ab ipſis brutis, iudicioq́; carentibus animalibus homines amandum colendumq́; eſſe rerum omnium conditorem olim edoceri potuerunt. Cognouit enim bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Quid igitur ipſi homines facere debent? Profectò hæc prima eſt in nobis benè uiuendi ratio, ut cui ipſa ſe debeat anima, non ignoret. Quis autem poßit non eum diligere, à quo uitam, totq́; & tanta beneficia ſit conſequutus? Quòd ſi rem ipſam accuratius, uti æquum eſt, meditari uoluerimus, certè mox perquàm dulcißimi ardoris lachrymæ manabunt ex oculis, multoq́; humore genas rigabunt.* ALMAR. *Hoc ut fateamur, ipſa ueritas euincit: ſed illud ualde me malè habet, quòd ipſe in Deum amor, ſi quando fortè accenſus fuerit, perquàm properè frigeſcit, atque etiam nonnunquam (ſi dicere fas eſt) penè extinguuntur, proinde quonan ſtudio modoq́; uitalis hic calor reparandus ſit, ſummoperè abs te ſcire cupio.* THAVT. *Alij alijs modis rem hanc ſolent procurare: quòd uerò mihi hactenus peculiare ac familiare fuit, tibi ſine inuidia communicabo. Sanè quoties ipſe quandam*

dam erga Deum tepiditatem apud me ſubrepere, & illius, quem diximus, amoris calorem refrixiſſe ſentio, protinus re perpenſa cum primis nouiſſimorum meorum ſortem atque horrida ſecundæ illius mortis pericula cogitare, animoq; reuoluere incipio: cui rei nocturnam meditationem uehementer accommodatam eſſe frequentiore experientia didici. Atqui mox ſedula huiuſce negotij commentatione præcordia ipſa timore palpitare incipiunt, atque eo quidem ſeruili, ſed qui ſtatim filialem obſeruantiam aſciſcere conſueuit: hunc uerò poſtmodũ cæleſtium præmiorun, æternæq; felicitatis contẽplatione quaſi adactis undiquaq; uectibus, quantum poſſum, ſtudeo roborare: ipſe quoq; in memet ob admiſſam culpam excandeſcens atq; indignabũdus, ualdeq; mihi ipſi ſuccenſens, talibus à Moſe illo magno mutuatis uerbis, tunſo pugnis pectore, meipſum increpo, ita inquiens. Heu miſer, Siccine Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es domini creatoris tui. Quibus ad horam centies fermè repetitis, tam pudendæ re indignitate permotus, præ pudore ac uerecundia crebris inſiſtens ſuſpirijs ac gemitibus, defixoq; in terram uultu, uitæ

meæ miſeriam cenſura ſeueriore deteſtor atq; condemno. Et, ueluti multorũ ſcelerum reus, ſummiſſo preſſoq; ſuper oculos uelamine, eorum inſtar qui in funere lugent, pileatus incedo. Cæterùm ad ipſius in Deum charitatis ardorem excitandum, maximè efficax eſt beneficiorum ab eo in genus humanum collatorum ſedula meditatio. Sed cum illius benignitas, ſuauitas & bonitas longè lateq; in uniuerſos mortales extendatur, multò tamen uberioris gratiæ, amoriſq; copioſioris debitores inueniuntur hi qui in ſpem æternæ hæreditatis uocati, Chriſtianæ militiæ aſcripti ſunt, quiq; nomen illud inuocare ac uenerari didicerunt, in quo oportet omnes ſaluos fieri, & quidem, Non fecit Deus taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis: Lætentur & exultent omnes qui diligunt nomen tuum Domine. O ingratiſsima illorum pectora, qui tantorum beneficiorum immemores paternam pietatem offendere, ac ab ea temerè diuertere non uerentur. Quanti, quæſo, illud faciundum eſt, quòd Deus ipſe ad imaginem & ſimilitudinem ſuam hominem creare uoluit, ut illum in delitijs haberet, ſuæq; diuinitatis & gloræ participem

pem faceret. Quanti & hoc, quòd inobedientes & à ſe auerſos minimè neglexit: uerum, mirabili excogitato myſterio nō ſolùm lapſos reparare, uerumetiam humani generis conditionem præcelſiore dignitate ſublimare, auctius'que nobilitare ſua pietate dignatus eſt. In *quo quidem negocio promouendo maluit ordinario quodam Iuſtitiæ progreſſu quàm ſuprema ſuæ maieſtatis poteſtate rem exequi: idq; hac una quàm maximè ratione & cauſa, ut ſcilicet dum operis huius patrandi gratia, diuinitas humanitati iungeretur, dumq; ipſe* Dei *filius tot ac tanta pro noſtra ſalute ſubiret, pateréturq; & toleraret, per hæc ipſe ſuæ in nos dilectionis immenſitatem certiſsimis argumentis demonſtraret.* Eo *namque factum eſt, ut non homines modò, ſed neque etiam ipſa uaſtioris huius machinæ elementa, quantò ille genus humanum amore proſequeretur uſquam poſſent ignorare.* O *admirabile commercium, creator generis humani animatum corpus ſumens, de uirgine naſci dignatus eſt: & procedens homo ſine ſemine largitus eſt mortalibus ſuam* Deitatem. O *magnum pietatis opus,* O *miram erga nos benignitatē.* O *inæſtimabilem charitatis*

ritatis uim, qua impellente terrenis cæleſtia, huma nis diuina ſociata fuere. O magnum uniuerſæ telluris gaudium cernentis ſeſe diuinis irradiatam eſſe fulgoribus, dum æterni Regis illuſtrata ſplendore contractam prius ſe caliginem amiſiſſe dignoſcit. Dij boni, quæ mens, quod pectus, quis animus uſquam ſatietur conſideratione altitudinis cõſilij diuini ſuper ſalute generis humani? Certè illud ineffabilis in nos dilectionis eſt indicium, quòd Deus ipſe nobis ultrò ea obtulit, quæ nunquam hu manitas auſa fuiſſet exoptare, quin potius nefas exiſtimaſſet hæc ipſa uelle cogitare. Felix atq; iterum felix, ut ita dixerim, culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. Quàm mira res iſta eſt, quòd agnus ille cæleſtis pro nobis mori uoluerit, ut ſuo cruore pectoris noſtri poſtes conſecraret. Quis talia fando temperet à lachrymis? his ego atq; alijs uniuerſo generi humano collátis beneficijs ſolitaria meditatione contemplatis, ad ea ſubinde conſideranda tranſeo, quæ mihi priuatim præſtita fuiſſe recognoſco: illaq; quantùm meminiſſe queo, mecum ipſe attenta repetitione percurro. O mi Domine, Deus protector uitæ meæ, & ſpes

ſpes cordis mei, dum tua in me ab ipſo matris utero necnon ab uberibus & cunabulis beneficia mente reuoluo, dum mihi condonatarum offenſarum magnitudinem meditor & expendo, dum quot & quanta te protegente euaſerim pericula terſioribus oculis conſidero, uox faucibus hæret, fari non poſſum, loqui neſcio. Quid memorem proſperos tam multorum rerum ſucceſſus mihi nihil tale merenti tua benignitate, tuoq́; fauore collatos? Quid quòd ego ſepè libidinibus, uoluptatibus, terrenarum'que rerum cupiditatibus perditiſſimè immerſus, peneq́; obrutus & ad naufragiū faciendum propior nonnunquàm internis ac dulcibus ſuggeſtionibus, atq́; etiam interdum proteruiore contumacia exigente flagellis, morbis, egritudinibus, deniq́; cæteris'que eiuſmodi caſibus ab ipſis penè faucibus orci, ne perirem, per te miſericordiſſime ſum reuocatus. Cur non agendis gratijs iugiter inſiſto, oculosq́; ac manus ſupplex ad cœlum tendens cum Propheta dico: Non'ne Deo erit ſubiecta anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum. Nam & ipſe Deus meus & ſalutaris meus, ſuſceptor meus non mouebor amplius. Veruntamen Deo ſubiecta eſto anima mea:

quoniam ab ipſo patientia mea. Quia ipſe Deus meus, & ſaluator meus, adiutor meus non emigrabo. In Deo ſalutare meum & gloria mea: Deus auxilij mei & ſpes mea in Deo eſt. Sperate in eo omnis comgregatio populi, effundite coram illo corda ueſtra: Deus adiutor noſter in æternum. Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus, Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum, protector meus, et cornu ſalutis meæ, et ſuſceptor meus. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu uitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum: renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. Miſerator & miſericors, Dominus longanimis & multum miſericors. Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neq; ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis. Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit

figmentum

ſigmentum noſtrum. Benedicite Domino *omnia opera eius in omni loco dominationis eius, benedic anima mea* Domino. O Domine *tu plurima deſignaſti admiratione digniſſima: & cogitationes quibus ſedulò curas nos, tam ſunt multæ et mirabiles, ut nemo hominum intelligere queat quantum tibi debeat pro illis. Si enim alijs enarrare coner eas, et uerbis proloqui, inueniam plures eſſe, quàm ut numerare ſufficiam, nedum uerbis explicare. Certè pluſquàm nos ipſos tibi debemus, ſed non plus habemus.*Heu *beneficia quotidie accipimus, et datorem non intelligimus, nec illum, ut decet, amore proſequimur.* Talibus *ego refrigeſcentem apud me in* Deum *amorem & affectum, quaſi iniectis facibus accendere ſoleo. Ô qualis et quanta hinc mihi cordis exhilaratio, quanta ſerenitas, quantum mentis ſolatiũ?* Equidem *memini, quum aduerſa nuper ualetudine laborarem, & in lectulo decumberem, nocte quadam in merſis profundo ſopore ſenſibus, tale mihi ſpectaculum coràm fuiſſe obuerſatum ui dere uidebar,* CHRISTVM *dulciſſimo atque pijſſimo obtutu me intuentem, atque his me uerbis leniter compellantem,* Fili *amas me.* Ad *quem ego.*

Tu ſcis

Tu ſcis Domine *quia amo te:* Tum *me ipſe repre-hendens, mœſtus eram quòd* Petrum *imitatus non hoc addidiſſem, etiã* Domine, *ſi pro te mihi moriendum fuerit, non te ſum negaturus.* Tuus *ſum ego, ſaluum me fac ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Vtinam *illi animam uitamq; meam libare, atq; in holocauſtum offerre poſſem.* Quid *eſt, quæſo, quod optabilius* Chriſtiano *homini contingere queat, quàm ut effuſo in creatoris ſui ſinũ uel gremium proprio ſanguine uitam deponat?* O *quanta ſic pergentis animæ fiducia eſt.* Sed *ſi pro illo pati non detur, uoluiſſe ſat eſt.* O *chara mihi animula ne quæſo, refuge dulciſſimos illius qui te creauit ac redemit amplexus.* Quin *potius effuſo curſu ad illum, dum licet, & tempeſtiuũ eſt, curre ac ꝓpera.*

Non *procul eſt locus partes ubi uia ſe findit in ambas.*

Proinde *magna obſeruatione curandum eſt, ne illic æternæ ſeparationis diſceſſus fiat, & ne in biuio illo omni ſpei felicitatis ſupremum uale dicendum ſit.* Durũ *certè ac luctuoſum uerbum, cuius ſola meditatione uiſcera ipſa diſſecãtur, pectus dirumpitur, & copioſis lachrymis facies ipſa fœdatur.*

tur.Ergo mea lux, & anima mea chariſſima tenaciſſimo ſemper amoris glutino ipſi Patri tuo cõiungere, illumq́; amplexare. Et ſi quis ab eius charitate te diuellere conetur, huic conſtanter reſponde.

Ille meos, primus qui me ſibi iunxit, amores
Abſtulit: ille habeat ſecũ, ſeruetq́; ſepulchro.
Sed mihi uel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemq́; profundam,
Antè pudor, quàm te uiolem, aut tua iura reſoluam.

Hæc ſi effata fueris, illud audire mereberis.

O digno cõiuncta uiro, dum deſpicis omneis.

Quid tibi dicturus ſum nobile & ingenuum cor. Ecce patrio affectu ille te moribundum intuetur, q̃ te creauit et condidit, ſciſcitans utrum ſe ames. Erige, precor, ante ſupremam horam in patrem oculos, & quòd non uulgariter illum redames, ingenua profeſſione teſtare: & hæc inſuper uerba ſubiunge. Domine mi Deus operi manuum tuarũ porrige dextram. Sed & ad hæc tibi cum magno illo Paulo ſocia arma iungenda ſunt, erectaq́; protinus

dextra atq; identidem uoce ſublata, amoris tui conſtantia his Pauli ipſius uerbis tibi conteſtanda eſt. Neq; mors, inquiens, neq; uita, neq; angeli, neque principatus, neq; uirtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura aliqua me ſeparabit à charitate Dei. *Hæc ſunt mi* Almarice, *quibus ego pectus animũque extimulare, & in amorem* Dei *accendere ſoleo. Cæterum, ut ad inſtitutũ prius ſermonem redeam, nulla ad mortem illam per quam homo à* Dei *gratia proſcribitur, æternisq; demũ ſupplicijs deputatur, efficaciora uidentur eſſe remedia, quam ſi quis* Dei *ipſius timorem & amorem ſollicito apud ſe ſtudio recondere ac conſeruare ſatagit, enixiusq; conetur.* ALMAR. *Arcana iſta chariſſime* Thautane, *ſemper apud me manebunt alta mente repoſta.* Porrò *non mediocriter ad rem pertinere arbitror ſcire, num fortè quicquam ſit, quod huic negotio probè gerendo officere, & hac in re hominis prouectum impedire queat. Quocirca mihi rem gratiſſimam feceris, ſi omnibus hinc illinc ſagaciter perluſtratis, ea quæ præcauenda uiſa fuerint, memorare, necnon explicare curaueris.*

THAVT.

THAVT. *Si hæc quæ diximus, non in ore, ſed in corde radices egerint, ſiq́; res ipſas non tam oculis, quàm intima ratione comprehenderimus, bona ſpes eſt, omnia pro uoto ſucceſſura: ut enim diuus* Leo *inquit.* Quiſquis *dulcedinem iuſtitiæ, bonitatis & miſericordiæ* Dei, *quibus omnis illius prouidentia diſpenſatur guſtu cordis attigerit, et nullo unquam minuenda faſtidio experimenta ſupernorum hauſerit gaudiorum, hic certè corruptibilia quæq́; bona æternorum admiratione deſpiciet, & in illo igne quem* Dei *charitas & amor accendit ita concaleſcat, ut algore in feruorem conuerſo, uno opere in illius animo* Spirituſſanctus *& tenebras abigat, & peccata conſumat.* Sanè *quemadmodum mortis meditatio atq; commentatio, uti antè dictum eſt, plurimum huic negocio conferre exiſtimatur: ſic in diuerſum longioris uitæ fiducia uehementer eidem officere certò certius iudicatur.* Hac *enim freti pleriq; mortales diuino timore atq; amore poſtergato, terrenis concupiſcentijs ita immerguntur, ut de futura uita nihil uſquam ſibi proponant cogitandum: uel ſi quid fortè ipſi aliquando cogitare uideantur, nihilo tamẽ minus lon-*

gioris uitæ fiducia & expectatione corruptiſſimæ uitæ emendatione ſemper differunt, eaq; procaſtinatione decepti inopinatæ tandem mortis ſuperuentu miſerrimè circũuoluuntur, pereuntq; et opprimuntur. Neſcit homo finem ſuum, inquit, Sapiens, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur: ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo ſuperuenerit. Ergo ne glorietur quiſquam ignorans quid uentura pariat dies. Certè illi malè uiuunt, qui ſeſe diu putant eſſe uicturos: unde apud Naſonem.

Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere uiuam.

Præclare Seneca, (à quo multa mutuo ſumere ſoleo) Ego, inquit, nihil cogito de die toto: Quibus uerbis ſignificat neminem ſibi polliceri debere occiduum eius diei ſolem ſe eſſe uiſurum. Innumerabilia quidem pericula in ipſo noſtro ſinu deliteſcunt. Quid autem dementius, ut ait Cicero, quàm incerta pro certis habere? Quemadmodum autem ille deficit, qui longiorem uitam ſibi repromittit: ſic haud dubiæ ille proficit, qui in foribus mortem adeſſe ſibi perſuadet ác proponit, dé que longioribus inducijs nihil cogitat, ſed in excubijs agens, ad

migrandum

migrandum nulla mora ſeſe componit: proinde ſatius eſt affigamus animo, nobisq́ſemper dicamus breui moriendum eſt. ALMAR. *Ego uitæ longioris fiduciam quàm plurimorum ſaluti obfuiſſe dietimq́ obeſſe uarijs exemplis edoctus fateor & agnoſco: ſe tamen quaſi præſentaneam mortem iugiter animo intueri & mente uerſari non ex uitæ commodo eſſe arbitror: hoc enim non uiuere, ſed mori dicendũ eſt, & mortis ducere uitam: quippè uita non eſt uita, niſi cum hilaritate contingat, & æquo, quantũ licet, animo tranſigatur.* THAVT. *Ad ſubmouendam longioris uitæ fiduciam quæ haud dubiè multorũ malorum prebet occaſionem, mortis ſpeculum apprimè uidetur neceſſarium: ſed hoc non eò tendit, ut eiuſmodi mortis ſpeculatione ac recogitatione ipſi nobis triſtitiæ uel mœroris cauſam aſciſcamus. Non enim ad obruendam animi hilaritatem, uerùm ad ea quæ ex ipſa longioris uitæ expectatione proficiſcuntur mala & pericula deuitanda, præſentaneæ migrationis ſuſcipi debet cogitatio.* ALMAR. *Sed quem, oro, reperias, qui ea mortis cogitatione quaſi præſentaneo ſpectri alicuius occurſu non moueatur, ſudet, tre-*

 pidet,

pidet, horreſcat, triſtetur? THAVT. neſcio quis Poëta non abſurdè cecinit. Scire mori ſors prima uiris. Et alter. O quam miſerum eſt neſcire mori. ALMAR. Quam tu mihi nunc moriendi narras ſcientiam, cùm mortis ipſius odio mortales omnes protelandæ uitæ modum rationemq́; magno redempto Medicorum opera enixiſsimè diſquirant? Et ſatis apud omnes conſtet, quòd ſine ulla arte uel ſcientia quiſq; uelatis etiam oculis paſsim mortem inueniat, aut ſi fortè ipſe latitet ab illa inueniatur. THAVT. Quòd ad hoc attinet, nos moriendi ſcientia in eo ſitam eſſe opinamur, ſi quis, quum abeundũ fuerit, æquo animo ac ſpe optima hinc nouerit demigrare. ALMAR. Vnde, quæſo, hæc petenda erat ſcientia? THAVT. Ab ipſa profectò uirtute: uirtus autem ab illo quem Dominum Deum uirtutũ Regius Propheta nuncupat. Cæterùm & à nobis quoque ipſis petendum, ut par eſt, præſidium. ALMAR. Expecto ut ea quæ in hanc rem accõmodata fore noueris, pro tua ſolita erga me dilectione explicare aggrediaris. THAVT. Satisfaciam uoto tuo, ut potero compendioſius. Quam certè ad rem, ut quæque maximè mihi ad

perſuaden-

perſuadendum pondus habere uidebuntur, quæ apud bonos Authores *comperientur, in mediũ proferam.* Hoc igitur Almarice *mi perpetuò tibi perſuaſum eſſe uelim, quòd ſapientes nunquam inuiti, ſæpe etiam uolentes moriuntur: cuius ſententiæ* Author *eſt egregius ille* Arpinas *orator & Philoſophus. Quod ſi ita eſt Ethnicis illis uiſum, quanta, quæſo, eſſe debet* Chriſtiani *hominis æquanimitas, qui mundo ſe renunciaſſe profeſſus cœlo regeneratus eſt.* Hunc *certè cum primis pro iuſtitia & fide proprium ſanguinem effundere, et mortem oppetere ſemper decet eſſe paratiſsimũ: ſed etiam ubi* Deus *illum euocare decreuerit, naturæq; tributum exoluere iuſſerit, ipſe lætus ac gaudens dicere debebit.* Ecce *præſto ſum: Quinetiam ſi quando tardàrit uocatio, uitæ melioris deſiderio* Petri *ipſius exemplum ſequutus, æquum eſt ut dicat.* Domine *iube me ad te uenire.* Certè *miles ille qui mortem timet nunquam generoſè ſe geret.* Porrò *neq; ob mortis cogitationem, neq; ob propinquæ migrationis caſum* Chriſtiana *mens commoueri debet, aut ulla ratione triſtari, præſertim* Apoſtolica *tuba nos hunc in modum adhortante.* Gaudete *in Do-*

mino ſemper, iterum dico gaudete. Et *iterum.* Sem*per gaudete, ſine intermiſsione orate. Prætereà ip-ſe* Paulus *ad* Galathas *ſcribens docet gaudium eſ-ſe fructum* Spiritus. *Et in ea quam ad* Theſſaloni*cenſes ſcripſit* Epiſtola *uehementer hoc ipſum e-uincere conatur, ne illi falſis pſuaſionibus circum-uenti morte terrerentur, aut inde triſtitiam conci-perent.* Cæterùm *conſtat eum qui deſiderium in hac uita manendi neſcit ratione temperare ac mo-derari, carni magis quàm ſpiritui eſſe affectũ: quæ res haud dubiè* Chriſtianæ Philoſophiæ *plurimum aduerſatur: certè idcirco* Salomonis *preces olim* Deo *placuiſſe leguntur, quòd non longam uitam, ſed ſapientiam ſibi donari poſtularit.* Ad *hæc quiſ-quis præter modum metu mortis angitur, & tunc cum moriendum eſt migrare detrectat, hic & ui-rum ſe eſſe, &* Chriſtianæ *militiæ aſcriptum ob-liuiſcitur.* Nec *prætereundum, quòd metus ipſe mentem perturbat, & iudicium eripit fuſcaq; ca-ligine obtenebrat, ſed & uirtutem quæ tunc maxi-mè uires ſuas exerere debet, opprimit.* Porrò *ut eſt apud* Hieronymum *in* Chriſtianis *non tam ſpe-ctantur initia, quàm finis: et quemadmodum in fa-*

bula poſtremus actus ſemper debet eſſe illuſtrior, ſic & in uita. Adde quòd qui non æquo animo imperata faciunt, hi cum Dei ipſius uoluntate pugnare uidentur: quamobrem non modo mercedem non merentur, ſed & iure flagris acrioribus digni eſſe iudicantur. Profectò ille malus eſt ſeruus, qui uocatus in Domini ſui conſpectum uenire detrectat. Illud inſuper addiderim, mortem ipſam in timidos audaciorem, & in audaces timidiorem eſſe. Itaque illa formidoloſis acrius inſtat, illoſq; uehementius urget ac premit: Siquidem hi qui trepidant ipſo ſolo metu propemodùm concidunt atque exanimantur. Ergo, quòd ãte diximus: Scire mori ſors prima uiris. Nec ambigendum, quin ille miſer cenſeri debeat, qui mori neſcit. ALMAR. Vtinam tam facilè foret rebus ac factis, quàm uerbis Philoſophari. THAVT. Non eadem certè utrobiq; facilitas. At ubi difficultas amplior, ibi quoque uirtutis nobilitas & præſtantia maior. Sed quidnam quæſo, hac in re tibi ſcrupuli materiam præbet? ALMAR. Hoc unum quòd ego penè impoßibile iudicio homines æquo animo mortem poſſe excipere, tunc præſertim cùm ante legitimi temporis decurſum

præpropera eſt migratio, & cùm nondum matura ætate uita ſucciditur atque amputatur. Nam *ſenio confectis expleta naturæ periodo, non adeo moleſta mors eſſe debet.* THAVT. *Inter eſt quam tu præproperam & immaturam uoces mortem?* ALMAR. *Legitimam, uti ego accepi, uitæ humanæ periodum quidam in centum ac uiginti annorum decurſu ſtatuerunt, eò quòd æternus* Dominus *dixiſſe legitur: Et erunt dies eius centum uiginti anni. Alij ipſius regij* Cithariſtæ *authoritate freti, humanæ peregrinationis ſummam ad annos ſeptuaginta, & in potentatibus octoginta putant eſſe coartatam.* Proinde *iure immaturus uideri debet illorum ex hac luce diſceſſus, qui ad hanc metam nondum peruenerint ſed floridam adhuc ætatem agentes de medio ſubtrahuntur.* THAVT. *Vtriq; errore labuntur, nec germanum (mihi crede) ſcripturæ ſenſum aſſequuntur.* Non enim *ad generalem humanæ uitæ præfinitionem uerba illa cenſenda ſunt pertinere: nempè hoc quòd de centum uiginti annorum præſtituto termino in ſacris uoluminibus legitur, ad emendationis inducias corruptiſsimis antè diluuium hominibus antequam diuino*

uino iudicio pleſterentur, conſtat eſſe referendũ. Pſalmographi uerò Prophetæ uerba non ad periodi ipſius terminum, ſed ad declarandam humanæ uitæ miſeriam prolata fuiſſe nemo prudens inficiabitur:proinde additum eſt : Et *amplius labor et dolor.* Itaq; *non pauci reperiuntur, qui non modò octoginta, ſed etiam centum annos ætatis ſupergrediuntur.* Hoc *itaque ex* Hieronymi *ſententia probabilius ac uerius eſt, quòd* Dei *ſolius uoluntate & ignotis mortalibus cauſis uel uiuat aliquis, uel moriatur: quòdq; diuinæ prouidẽtiæ decreto uitæ ſtamina cuiq; uel producantur, uel ſuccidantur.* Ex *quò intelligitur humano arbitrio nequaquam definiri debere quænã matura, quæ ue immatura mors dici debeat.* Rectè *itaq;* Iob *ille iuſtus,* Breues *(inquit) dies hominis ſunt: numerus menſium eius apud te eſt.* Omnes *igitur ſibi perſuadere debent illam maturam eſſe dormitionem, quæ quandocunq;* Dei *uoluntate et arbitrio cõtingit, nec queri quenquam oportet breuiorem, quàm opus foret, uel expediret, ſibi, uitam conceſſam.* Namque *ut* Tullius, *inquit,* Breue *tempus ætatis ſatis cuiq; eſt ad benè & honeſtè uiuendum.* Vnde *apud* Senecam.

Quid intereſt quàm citò exeas, dum utique exeas, dum utique exeundum eſt. Certè non ut diu uiuamus curandum eſt, ſed ut ſatis. Hoc *autem non à fato, ſed ex animo dependet. Longa ſatis eſt uita, ſi plena eſt, impletur autem, cum animus bonum ſuum ſibi reddidit, & ad ſe poteſtatem ſui tranſtulit. Quid illum octoginta anni iuuant per inertiam exacti? non uixit, ſed in uita moratus eſt: nec ſerò mortuus, ſed diu. Ille octoginta annis uixit.* Inter *eſt mortem eius ex quo die numeres: at ille alter obijt uiridis, ſed officia boni ciuis, boni amici, boni fratris, boni filij exequutus eſt: in nulla parte ceſſauit: licet eius ætas imperfecta ſit: uita tamen perfecta eſt. Actu igitur uita metienda eſt, nō tempore. Proinde in numero fœlicium ponendus eſt, non is qui multos annos panem edit, ſed is cui quantulumcunq; temporis contigit, illud benè collocauit & impendit: nec uerò ideo ipſe mihi plures annos accedere recuſarim ſed nihil mihi ad beatam uitam defuiſſe dicam, ſi ſpacium eius inciditur.* Non *enim ad eum diem me aptaui, quem mihi ultimum ſpes auida promiſerat, ſed nullum non tanquam ultimum aſpexi. Sanè quemadmodum in minore cor*

poris ſtatura poteſt homo eſſe perfectus, ſic et minore curriculo uita eſſe perfecta. Aetatis quidem longitudo inter externa eſt: quàm diu ſim alienum eſt, ut uir bonus ſim, meum eſt: Hoc à me exige. Qui autem uitæ felicitatem numero dierũ et menſura temporis æſtimat, illi quod habet optimum eripit. Quid intereſt, ſi quem tam pauci anni beatum fecerunt, quàm alium multi? Etiam paucorum uerſuum liber eſt conſumatus: & hic quidem laudandus atq; utilis, quomodo fabula ſit, & uita non quàm longa, ſed quàm benè acta ſit refert. Nihil ad rem pertinet quo loco deſinas, quocunq; uoles deſine, tantùm bonam clauſulam impone: uita imperfecta non eſt, ſi honeſta eſt. Itaq; cogitandum eſt qualis ſit uita, non quanta. Citius aut tardius mori non ad rem pertinet. Certè ut ſatis uixerimus, non anni multi facient, ſed animus benè compoſitus. Quicquid autem interſit temporis, non multo ſpacio alter alterum præcedit aut ſequitur. Qui aduerſarium occiderit, ipſe non multo interuallo occiſum ſequetur: minimum eſt hoc de quo inter mortales tam ſollicitè agitur. Quid autem refert quandiu uites, quod tandem euitare nõ poßis?

omnia nobis fortiter excipienda ſunt, quæ generalis mundi neceßitas imperat. Profectò *uirtus tantæ præſtantiæ eſt, ut nec breuitatem æui, nec corporum uarias offenſiones magnifaciat, ſed nec uoluptatem dignatur aſpicere. Futuro nanque huius mortalis curſus tempore ſe non indigere æſtimat, nec dies ſuos computat: quandoquidem in quantumlibet exiguo tempore bona æterna parari poſſe non ignorat. Sanè quemadmodum is qui ſecundo uento in portum defertur, & quò proficiſcendum illi erat, citò perducitur, optimè ſecum actum eſſe, & ſuperos ſibi fauiſſe reputat: ſic is qui uitæ curſum properè expleuit.* Neque *uerò magis quiſquam dolere debet ob propinquam mortem, quàm agricolæ dolere ſolent meſſem aut uindemiam appropinquare.* Scitißimè Hieronymus. *Et ſi, inquit, uita noſtra protendatur per mille annos, & ad extremum illum totius ætatis diem quotidiana deliciarum uoluptate ueniamus: quale hoc diu eſt, quod fine deletur, aut quis illius uoluptatis fructus eſt, qui ſtatim ut ceſſauerit, uideatur tibi nõ fuiſſe. Agè iam tranſactum eſt uitæ tuæ tempus, animo reuolue: non'ne tibi uidebitur umbra quædam fuiſſe*

quod

quod tranſijt, & inſtar ſomni tenuis incertum eſſe omne quod uidetur? Hoc idem *& decrepitus ſenex ſentire poteſt, cui conuenit dicere cum* Propheta. Dies mei *ſicut umbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui.* Certè *quanquam millenariū annorum numerum excedere poſſemus: uel* Mathuſalem *nobis tempora donarentur, nihil tamen prodeſſet longitudo quæ tandem eſſe deſijſſet.* Etenim *inter eum qui decem uixit annos, & eum qui mille, poſtquàm uitæ finis aduenerit, & irremediabilis mortis neceßitas incubuerit, tranſactū omne tantundem erit: niſi quòd ſenex magis onuſtus peccatorum faſce proficiſcetur.* Profectò *nihil eſt diuturnum in quo eſt aliquid extremū: hæc* Hieronymus. Sed *& eos, qui hîc diutius moram trahere non ſinuntur, illa diuinæ ſcripturæ ſententia maximè ſolari debet, quæ hunc in modum pronuntiat.* Iuſtus *autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit: ſenectus enim uenerabilis eſt non diuturna, neq; annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis uita immaculata, placens* Deo *factus dilectus, & uiuens inter peccatores tranſlatus eſt.* Raptus

eſt, ne malitia mutaret intellectum eius: aut ne fictio deciperet animam illius. Conſummatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem uidentes & non intelligentes, nec ponentes in præcordijs talia: quoniam gratia Dei & miſericordia eſt in ſanctos eius, & reſpectus ſuper electos illius. Condemnat autem iuſtus mortuus uiuos impios, & iuuentus celerius conſumata longam uitã iniuſti. Videbunt enim finem ſapientis et non intelligent quid cogitauerit de illo Deus: & quare minuerit eum Dominus: Hæc ex Sapientiæ decerpta ſunt floribus. Quid quòd non ſolùm iuſto cuiq; celerior migratio utilis eſt, uerùm etiam iniuſto: ſiquidem ut Sapiens teſtatur, longitudo uitæ infelix eſt impio: non enim bonũ eſt ei quòd prolongentur dies eius. Ergo non citò mori, ſed malè uiuere formidabile eſt. Attamen nemo quàm benè uiuat, ſed quamdiu curat. Certè plerumq; qui creſcit ætate, creſcit et iniquitate: quod qui faciunt, proculdubio ultra quàm oportet uiuere dicendi ſunt. ALMAR. Hæc quæ tu de non appetenda diutina uita diſſeruiſti,

niſti, magnam quidem perſuaſionem habere uidentur: ſed tamen ubi caſus quiſpiam urget, omnes relicto pallio mortem fugiunt, & euaſionem meditantur. Alij quidem uotis nuncupatis, præcibusq; ſuppliciter porrectis ſuperos fatigant. Alij profuſiſſimo ſumptu undequaque Medicos adhibent, acceſunt, conſulunt. Nonnulli quoq; & à uanis ſuperſtitionibus remedia auſpicantur, ut curari ac uitam producere ualeant: tanta eſt hominibus uiuendi et aura ætherea fruendi cupiditas. THAVT. *Innatum eſt certè cunctis animantibus uiuendi deſiderium. Atqui huic affectui, quo plerique homines uehementius diſtinentur, nonnunquàm legitima et probabilis aliqua cauſa coniuncta eſt: qua intercedente, ſi quis precibus uotisq; inducias à Deo impetrare ſatagit: hic profectò minimè errauerit.* ALMAR. *Non'ne ſatis probabilis & legitima cauſa uideri debet, quũ quis mortis dilationem hac tantùm ratione cupit, ut ipſe uiuat: &, quod omnibus dulciſſimũ eſt, ſuum eſſe conſeruet.* THAVT. *Quæſtionem hanc illa* CHRISTI *uerba ſoluere poſſunt. Amice ad quid ueniſti, uel id quod Maro cecinit. State uiri: quæ cauſa uiæ? quò tenditis?*

ditis? inquit. Certè non ideo uitam homo accepit ut ocio marceſcat uel quoquomodo ætatem traducat, aut tempus incaſſum terat, ſed ut fructum aliquem afferat, boniſque tandem operibus ſe non inutiliter uixiſſe teſtetur: uera nanque æſtimatione ille uiuere cenſendus non eſt, qui nihil uita dignum agit: qua de re adnitendum nobis eſt, ut ei à quo uitam ipſam ſimul & ad negociandum talenta accepimus, pio tandem quæſtu illa auctiora facta exhibeamus. Ad quid enim inertibus uita? Non re*ctè igitur pro longioribus uitæ inducijs ille ſupplicat, qui ut uiuat tantùm, non ut fructum afferat uitæ prorogationem obtinere deſiderat.* Neq; *enim exilij huius delectatione uel dulcedine illectos, ſed gratis ipſi* Deo *rebus incumbere, propriamq́; & aliorum ſalutem procurare cupientes, longiorem uitam expetere decet.* ALMAR. *Soletne Deus illorum fauere precibus, qui legitimis prætenſis cauſis rectaq́; intentione mortis dilationem ab eo ſatagunt impetrare.* THAVT. *Diuinæ pietatis aures recta & ſalutaria petentibus nuſquam occluduntur Sed tamen quid cuiq; magis expediat, melius quàm nos* Deus *ipſe prænoſcit, & intelligit:*

quo

quo fit, ut non ſemper pij etiam iuſtiq́; homines poſtulata aſſequantur. Illud quoq; conſtat, eos in quibus aliorum quorundam ſitum eſt præſidium, uel qui ſi uiuerent, quibuſdam ſolatio & auxilio futuri eſſent, nonnunquam in eorum qui iuuandi forẽt odium ex hac luce ſubtrahi. Nec hoc quoque ambigendum, quòd ad aliorum utilitatem nonnulli ſæpius uita longiore donantur: aliquando quidem ut illis ſint in tutelam, aliquando in flagellum: utroq; ſiquidem modo mortalibus conſulit Deus. Porrò quoniam hæc nulla humanæ mentis perſpicacitate diſcerni poſſunt, ſatius eſt diuinæ prouidentiæ iudicia humilima ſemper deuotione uenerari, illiq́; nos prona utcum'que mente accommodare, quàm quid Deus ipſe præſcribat, curioſius perſcrutari.

ALMAR. *Quid de his cenſendum, qui Medicorum arte & opera uarijs adhibitis pharmacis, productiorem uitam ſibi ſtudent comparare?*

THAVT. *In his ego intentionis ſcopum attendendum cenſeo. Planè Aſa Rex Iuda in ſacris literis ob id uehementer taxatur, quòd cùm ipſe periculoſa infirmitate correptus eſſet, in ſola Medicorum arte ſpem repoſuerat, nec uti par erat, ad diui-*

nam

nam opem confugerat. Equidem *ſi ſumus ille* Me-*dicus manum ſuam contraxerit, nulla quoruncunque* Archiatrorum *ſcientia, nulla ars, nulla praxis, nulla diligentia, incolumitatem aut leuamen afferre poterit ægrotanti.* Proinde *ut cura ſuccedat, utq; uim efficacem ipſa medicamina ſortiãtur, neceſſe eſt benignum diuinæ uoluntatis influxum pijs ſupplicationibus uotisq́;, necnon et lachrymis, ante omnia ſibi conciliare: auerſo namq;* Deo *tanta eſt rerum omnium infœlicitas, ut ea quæ ad benè gerendum negocium neceſſaria ſunt, quaſi de induſtria ſeſe ſubtrahere & procul fugere uideantur: neq; ex accommodatis rebus quidpiam tempeſtiuè ualeat reperiri: uel ſi quid fortè ex ijs reperiatur, illud ipſum omni prorſus efficacia haud dubiè ſit deſtitutum.* Quiſquis *igitur ſibi benè conſultũ eſſe cupit, curam omnem à* Deo *primùm auſpicetur, totumq́; illi commendet negocium: neq; prætermittat, quin his* Domini *ſeruatoris uerbis precum ſuarum ſummam concludat.* Veruntamen *non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu: proinde fiat uoluntas tua.* Nec *hoc quidem reticendum quòd corporalis infirmitas nonnunquam prouenit ex peccato: cùm*

Dominus

Dominus ægroto cuidam dixiſſe legatur: Vade, & noli amplius peccare, ne tibi deterius aliquid contingat: quocirca in eiuſmodi morbis parum admodùm in Medicorum arte poterit eſſe præſidij, niſi ægrotus ipſe de placando Deo primùm, ut res poſtulat, cogitarit. ALMAR. *Quod ſupereſt de ſuperſtitioſis remedijs, quibus nonnulli utuntur, nihil à te puto impræſentiarum requirendum: quandoquidem Chriſtiani cuiuſq; hominis fides uiritim iſta reſpuit.* THAVT. *Hæc certè non remedia, ſed uerius piacula ſunt: Vitam quidem, inquit Plinius, non ita producendam cenſemus, ut quoquomodo protrahenda ſit: deprauata namq; malis artibus conſcientia omni morte peſtilentior eſt. Itaq; multò ſatius æſtimari debet corporis iacturã perpeti, quàm illicitis conquiſitis remedijs, ſi tamen remedia dicenda ſunt, animam infœliciter iugulare.* ALMAR. *Tua igitur ſententia infructuoſis hominibus, atq; ijs qui uitam uoluptate magisq; prouectu et utilitate metiuntur, neq; pro uita producenda ſiue differenda morte Deo ſupplicare, neque in hanc rem medicaminibus uti congruit.* THAVT. *Ita mihi ratio dictare uidetur.* AL-

m MAR.

MAR. *Ergo hoc unum illis ſupereſt, ut ſpretis quibuſq; remedijs, quanquam repugnante natura, ultrò perire ſe patiantur.* THAVT. *Fruſtra hoc illis Orpheus, uel ipſe etiam Amphion caneret. Nullum enim hominum genus diuturniorem uitam affectat, quàm hi, qui bonis operibus uacui ſolas ſectantur delicias: quiq; cæteris mortalibus oneri potius ſunt, quàm uſui: proinde illi omnem ſuam curam ad producendam uitam impendunt, et hanc ſummam hominis fœlicitatem putant, ſi quis diu hac uita frui poßit. Quod cum à Chriſtiana Philoſophia ualde abhorreat, illos ego cum brutis in paſcua relegatos dimitto.* ALMAR. *At melius fuerit aliquod ijſdem utile præbere conſilium.* THAVT. *Hoc probum eſt in eiuſmodi negocio conſilium, ut à uanis terrenarum rerum blandimentis, quoad fieri poterit, illi animum abducant, & ad æternorum bonorum deſiderium ſeſe tranſferre ſtudeant. Enimuerò quiſquis hoc fecerit, is certè uel ea mente longiorem uitam ſibi dari optabit: ut ipſe proficiat, cæteriſq; prodeſſe ualeat: uel alioqui humanarum rerum faſtidio diuinæq; inſuper fruitionis cupiditate cum ſanctißima illa fœ-*

mina

mina Auguſtini matre ultrò dicturus eſt: Iam ego hîc quid facio? ALMAR. *Poterit ne quiſpiam ſine Dei offenſa illam quam uoluerit ex his uiam amplecti ac deligere, uidelicet aut propoſitum in hac uita manendi pij alicuius operis conſummandi ſtudio et affectu ſectari, aut inhiante ad cæleſtem patriam animo migrationis accelerationem exoptare.* THAVT. *Vtrumuis faciat licet, tantùm intentionis ſinceritas adſit, attentiusq; præcaueatur, ne ſub piorum uotorum pallio mundani amoris quidam lateant igniculi: neq; enim ille falli poteſt, qui ſcrutator eſt cordium. Atqui ſiue hoc, ſiue illud animi deſtinatio ſibi proponat faciundũ, ſemper parati eſſe debebimus prompta mente, diuinæ nos accommodare uoluntati, illiq; in omnibus cedere: ac quicquid illi placuerit humiliter amplecti ac ſubire. Planè tametſi utriusq; conditionis propoſitum Deo acceptum eſſe cenſeatur: expenſa tamen utriusq; cauſa & ratione ille aliquantò maiore in Deum dilectione feruere iudicandus eſt, qui diſſolui & eſſe cum* CHRISTO *deſiderat, quàm ille qui migrationis dilationem, tametſi proficiendi ac quæ recta ſunt operandi deſiderio moueatur,*

ueatur, obtinere ſatagit. Quocirca ſancti olim uiri quanquam ad aliorum procurandam ſalutem forent accommodatiſsimi, non tamen propterea uitæ protelationem præcibus ambiiſſe, ſed laborem tantùm minimè recuſaſſe leguntur. Vnde Paulus, Coarctor, inquit, è duobus: deſiderium habens diſſolui & eſſe cum CHRISTO *multò magis melius, permanere autem in carne neceſſarium propter uos.* Et *nobilis ille* Turonenſis Antiſtes: Domine, *inquit, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, nõ recuſo laborem: fiat uoluntas tua.* Non *ergo longiorem uitam illi poſtulabant, ſed neceſſarium potius munus ſe nõ recuſare declarabãt.* Aliter Ezechias *qui ne tam citò moreretur ambitioſis lachrymis impetrauit.* Aliter & Iob *ille iuſtus, qui ait:* Dimitte *me, ut plangam paululum dolorem meum antequã uadam.* Sed *ſi perſpicatius omnia contemplari uoluerimus, profectò ante apertum fœlicitatis oſtium reſeratasq; per* CHRISTVM *cœli fores, & diffractos obices, quibus humanum genus ab aſcenſu ad æternum* Patrem *prohibebatur, iuſta probabiliq; ratione, ut uidetur, mortales ex hac uita migrationem triſtemq; ad inferos deſcenſum uerebantur.*

bantur. At ubi CHRISTI *ipſius ſparſo ſanguine credentibus in cœlum uia patefacta eſt: nemo haud dubiè qui ſpem fidemq́; habeat, gloriæ ac cœleſtium præmiorũ retardationem unquam ſua ſponte debuit uel debebit exoptare. Cæterùm ne longius euagemur, hoc unum ſemper in conſiderationem uenire debet, quòd hi qui longiorem uitam proficiendi deſiderio appetunt, ſi quando fortè caſus ſe offerat, ut propriũ ſanguinem effundere fidei ratio, uel iuſtitiæ publicæq́; utilitatis cauſa depoſcat, protinus exilire debebunt, conſtantiq́; animo & hilari fronte ceruicem ſecuri ſupponere. In hoc quippè negocio qui uitæ ſuæ auarus, aut animæ ſuæ tenacior fuerit, dum illam ſeruare uolet, Euangelicæ ueritatis teſtimonio perdet illã. Quod autem ad eos attinet qui uel uitæ huius tædio, uel melioris ſtatus cupiditate propinquam exoptant mortem, quædam ab his ipſis uidentur eſſe obſeruanda. Primum quidem, ne ultrò mortem arripiant, uel ſua ſponte naturæ iniuriam imprudenter afferre moliantur: quæ res non facto ſolùm, ſed etiam eorum, quæ ad uitam aut incolumitatem neceſſaria intelligantur, ac remedio futura eſſent,*

neglectu ſæpè contingit: quamobrem medicinæ legibus Paulus Timotheum inſeruire debere commonuit. Ipſa namq; medendi ſcientia, ut Auguſtinus ſcribit, ab illo eſt, cui rerum omnium ſalus ac ſtatus iure tribuitur: quamobrem negocio exigente oportunitateq́; ſe offerente, artis ipſius remedia, quæ certè Dei dona ſunt, minimè ſpernenda uidentur: Ne quis uel Deum tentare, uel charitatẽ, qua corpus ſuum ad bonorum operum uſum fouere ac diligere debet: inſuper & proximos, quibus auxilium, conſilium, & fauorem impendere poſſet, improbanda temeritate deſeruiſſe prodidiſſeq́; cenſeatur. De his autem loquimur remedijs, quæ certa ſunt ac ſecura, nõ de ijs de quibus probabiliter dubitatur, aut quæ propter ægrotantis diffidentiam, quod plærumq́; accidit, haud quaquam uim efficacem habitura exiſtimantur: hæc enim pro ſuo arbitrio ſpernere ac reſpuere cuiq; liberum eſt. Præterea quanquam alicui forſan hæc uita grauis eſſe uideatur: manendum tamen eſt in præſidio, ut inquit Cicero, quoad ille iuſſerit quis nos hîc collocauit: neq; iniuſſi præſidium ipſum deſerere debemus: ne munus humanum nobis à Deo aſſignatum

refugiſſe.

refugiſſe uideamur: migrare uerò iuſsi alacriter hoc facere, eo cõtenti uitæ tempore quod ipſi Deo placuerit. Illud inſuper adijciendum, quòd hi non mediocriter errant, qui uel ſolo præſentium malorum humanarumq́; calamitatum tædio, uel eorum quæ fortè imminent diſcriminum per horreſcentia mortem expetere licitum putant. Enimuerò niſi pulmentum hoc diuinæ fruitionis cæleſtiumq́; bonorum ſpe ac deſiderio condiatur, nulla ratione poterit diuinæ placere bonitati. Cæterùm ne quis ea quæ de optata nonnunquàm à nonnullis morte ſuprà retulimus, ob naturæ ipſius repugnantiã impoſsibilia forte iudicet, hæc ita interpretanda eſſe monemus, ut intelligatur, neminem quidem eſſe qui mortem ſimpliciter exoptet: non enim propriè mori, ſed uel his calamitatibus eximi, uel cum CHRISTO *eſſe homines concupiſcunt. Atqui cùm hæc ipſi, niſi diſſolutione intercedente, aſſequi ſe non poſſe nouerint, neceſsitate quadam ſuadente, ut optato ſtatu patiantur, mortem deſiderare coguntur.* ALMAR. *Intelligentia hæc humanitati et naturæ ſatis conſentanea eſt: uerùm utcumq́; nos in ijs rebus philoſophemur. Attamen*

uehementer

uehementer ab hominis conditione abhorret mortem per ſe exoptare: quippè illatam fortiter pati decorum eſt: ſua uerò ſponte illã aſciſcere, uel optare, prorſus inhumanum. THAVT. *Ego à nemine exigendum puto, ut ipſe omnem humanitatis affectum è ſuo pectore reuellat penitusq́; eradicet: aut quòd ipſe ad mortis occurſum nihil omnino moueatur: huic enim rei naturæ conditio nimium refragatur: ſed & alia non pauca uarias timoris occaſiones paßim humano cuíque proponere uidentur. Ceterùm hoc in primis operæ precium duco, ut quiſquis cum* CHRISTO *regnare, & cœleſtis gloriæ particeps eſſe uoluerit, hic naturæ & humanitatis affectum uirtute frenare, diuinæque gratiæ præſidio compreſſum euincere atque calcare contendat. O quàm contemptibilis res eſt homo (inquit Seneca) niſi ſupra humana ſe erexerit. At uerò is conſummatum plenumq́; ſortis ſuæ bonum aſſequitur, cùm proculcatis terrenis petit altum: & ſupra ſe, ut Propheta ait erigitur.* ALMAR. *Nimis magna et ardua res eſt ſeipſum uincere, propriamq́; naturam ſuperare.* THAVT. *Nulla meo iudicio Philoſophiæ pars hac uberior*

uel

uel fructuoſior poteſt inueniri. Planè ad peruincendum naturæ & humanitatis affectum, necnon & ad ea retrudenda, quæ ipſa acerbitatis, uel periculi ſpeciem timorem incutiunt, optimis perſuaſionibus ac rationibus armanda ſunt pectora. ALMAR. *Hoc ego abs te cõtendere uelim, mi Thautane, ut quoniam hæc res per ſe cognitu digniſsima, ſimulq́; & ſapienti cuique, uti exiſtimo, perquàm neceſſaria eſt, de illa uberius diſſerere pergas, illiusq́; cauſas & rationes altiore inueſtigatione diſcutias.* THAVT. *Paratus ſum omnibus in rebus tibi morem gerere. Neque uerò alteri tantùm noſtrum proderunt ea quæ dicentur, ſed communi utriusq́; utilitate tractabuntur. Igitur, ut quæ de hiſce rebus ſentio in medium proferam, eorum quæ hinc migrandi uoluntatem ſolent remorari, et mortalium mentibus timorem incutere, alia uinculis quibuſdam homines irretitos, & nõ ſecus quàm tenaciore quodam glutino inuiſcatos detinent: alia nonnullarum rerum ingrata ſpecie trepidos mortalium animos abſterrent. Porrò eorum quæ animos humanitati affectos, & terrenis rebus agglutinatos detinent, ut hinc migrare odioſum putent,*

præcipua hæc ſunt. Primum quidem naturalis fœderis animæ & corporis dulciſsima copula. Secundo deinde loco terrenarum deliciarum blandiores illecebræ. Item in externis ac tranſitorijs rebus ultra quàm par ſit defixus amor. Ad hæc eorum quæ affectamus ingens ante mortem potiundi deſiderium. Quæ uerè terrificia ſpecie timorem incutiunt, hæc mihi uidentur in primis ipſa temporis incertitudo, deinde metus quidam, ne poſt hominis ex hoc terreno diuerſorio deceſſum nominis ſui fama, et rerum per illum geſtarum memoria intereat uel obſcuretur: aut ne in eum, quem fortè ipſe ueretur, caſum illius res deuoluantur. Præterea morbi uexatio, & dolorum aſperitas. Item malignorum ſpirituum perhorreſcentia. Poſtremò futuri poſt mortem iudicij anceps exitus ſuſpectaq́; conditio, & incertum in illa regione hoſpitium. Hæc proculdubio ſunt, quæ migrandi uiam nobis impeditiorem atq; ſpinoſiorem uideri faciunt. ALMAR. Parum fuerit iſta hunc in modum ſumma quadam complexione conmemoraſſe, niſi ad hæc ſigillatim quid quæque res ferat uberiore diſputatione explicetur: mihi certè hæc ad pungenda mortalium

corda

corda ſtimulis quibusq́; acutiora uidentur. Itaq; ad retundendos eiuſmodi aculeos forti malleo opus eſſe ipſe mihi perſuadeo. THAVT. *Non tam forti malleo, quàm firmo pectore aculeorum iſtorum uis eliditur, harumq́; ſpinarũ ſtimuli hebetantur.* ALMAR. *Valde imbecillum eſt per ſe hominis pectus, ubi contra mortem illi militandum eſt.* THAVT. *Imbecillum quidem & infirmum in hac pugna eſſe ſolet humanum quodq́; pectus: uerùm ſi ualidis rationibus ſemel egregiè fuerit armatum: ita, mihi crede, conualeſcet ac roborabitur, ut protinus Vergilianum illud animoſo ſpiritu decantet.*

Vſque adeo ne mori miſerum eſt?

Certè benè perſpecta ratio prudentibus terrorem excutit. Quamobrem uerißimum eſſe colligitur quod Prophetico Carmine decãtari ſolet: Veruntamen uanè cõturbatur omnis homo. ALMAR. *Ne, quæſo, longius inſtitutæ materiæ tractatum protrahamus: ſiquidem probè loricato bonis uerbis animo magnam hinc in poſterum utilitatem me ſpero conſequuturum.* THAVT. *Eorum quæ humanæ uoluntatis affectum quodam ueluti gluti-*

no inuiſcatum detinent, & dum ad cæleſtem patriam ex hac rerum caligine migraturi ſumus, animi noſtri promptitudinem tardant atque remorantur: potiſsimum eſt humani fœderis uinculum, quo anima corpori, et corpus animæ ſingulari diuinæ manus opificio ſociata ſunt. Ipſa *quidem anima ad imaginem & ſimilitudinem* Dei *facta longè nobilior eſt corpore: quod certè luteum ac fragile, multiſq; cauſis ſemper obnoxiũ eſſe conſpicitur. Sed tamen anima ipſa ſuum corpus ſumma dilectione proſequitur.* Vnde Paulus: Nemo, *inquit, carnem ſuam unquam odio habuit, ſed nutrit et fouet eam. Ingens profectò eſſe ſolet uterinorum fratrũ charitas: illorum præſertim, qui fœcundæ propagationis influxu unica ſatione concepti, eodemq; ſimul partu æditi fuere.* At *certè longè arctior eſt animæ & corporis in unitatẽ, uerius quàm germanitatem copulatio: & hæc ipſa in anguſtiſsimo maternorum uiſcerum habitaculo primùm cõtracta, deinde per omnem uitam iugi conſuetudine, familiariq; conuictu roborata. In quibus autem mutuus ineſt amor, hæc coniunctionem appetunt, diſſolutionemq; ſummopere refugiunt.* Quamobrem *eorum*

rũm quæ chariſſima ſibi inuicem ſunt; non poteſt non grauis admodùm eſſe diſſociatio. Nec abs re præterea terrenum hoc corpus animæ ueretur abſceſſum: ſi tamen, demonſtrationis gratia, tale aliquid, in ea quæ per ſe ſenſu caret materia, liceat commentari. Siquidem animam in ipſo corpore uiuificationis munus exercet: proinde ea abſcedente membrorum omnium officia ceſſant, corpusq́; ipſum uitæ beneficio deſtitutum citò in cinerem reſoluitur. Cum autem omnia ſummè formam & uitam appetant, meritò corpori ipſi uehementer hæc ingrata eſt ſeparatio. Neq; uerò illorum probanda eſt opinio, qui animam in corpore tanquam in ſepulchro conditã, uel quaſi in carcere detruſam eſſe arbitrantur: huius namq; rei contrarium ſatis arguit ingens erga corpus animæ ipſius affectus, & hoc quòd illa ab ipſo corpore ægrè diuellitur. Itaq; probabilius ac uerius eſt animam in corpore ueluti in proprio atque aptiſſimò uaſculo conſtitutam, & quemadmodum gemma in anulo poſitam, illicq́; inſertam eſſe: quo fit ut illa unicè eidem corpori afficiatur, eiusq; contubernij diſſolutionem ſummopere refugiat: proinde ut Euangelicus ille tubicen

Paulus

Paulus ſcribit, anima non expoliari, ſed ſuperueſtiri potius deſiderat: id eſt, ſi liceret ſine corpore huius ueſtimenti depoſitione glorioſo amictu cuperet exornari. Conſtat igitur non in odium, ſed fauorem corpus ipſi animæ fuiſſe coniunctũ, quin potius illorum ſeparatione quæ morte efficitur, pœnalem eſſe in uindictam tranſgreßionis primorum illorum parentũ uniuerſo generi humano inflictam: quod autem pœnale eſt non nihil habere debet acerbitatis. Porrò *hac de cauſa terrenum corpus animæ ſociatum eſt, ne, quod de angelicis ſpiritibus traditur, illa ſuam nobilitatem, & præſtantiam in ſuperbiam efferretur, & ſpirituum ipſorum inſtar propria temeritate & arrogantia irremediabili præcipitio corrueret, ſimulq; etiam ut eo intercedente coniugio maiorem benè merendi occaſionem ſuſciperet.* ALMAR. *His rationibus quidnam poteſt aduerſari? aut quid ea quæ prædicta ſunt elidere poſſe uidetur? ut, eis reiectis, mortem quis minimè formidabilem & refugiendam eſſe contendat? præſertim cum de illo Apoſtolici collegij uertice uiro imprimis cordatißimo* CHRISTVS *dixiſſe legatur, quòd ſenex factus*

ctus cingeretur, ac quò nõ uellet, duceretur. Quibus ex uerbis in uoluntariam illius paſſionem & mortem futuram deſignabat: quanquàm, iam inſtante ſenio, longiorem uitam ille ſperare non poſſet. Quid quòd & ipſe CHRISTVS *Dei Filius mortem exhorruiſſe fideliſſimis teſtimonijs perhibetur. Certè hæc illorum qui in naturæ gratiam loquuntur opinionem uehementer confirmare uidentur: nec dubium quin illud ualde odioſum uideri debeat, per quod ea quæ chariſſima ſunt, diſſociantur: ſed tamen quid tu ſuper hac controuerſia ſentias, audire cupio* THAVT. *Iam ego, ſi meminiſti, ſupra teſtatus ſum me nullo pacto uelle ab homine exigere ſupra id quod humanitatis conditio præſtare poteſt. Cæterùm in cœlum eunti hoc ſemper ante oculos ſtatuendum, quod quemadmodum niſi monſtris ac portentis ſtrenuè confoſſis, aut ferociſſimis hoſtibus expugnatis ceſisq; uel debellatis, nemo unquam præclaram ſibi peperit uictoriam: ſic abſq; uariarum difficultatum exuperatione & parta ex aſperitatibus uictoria nullus egregiæ uirtutis claritatem, aut ingenitum præmiorum retributione iure conſequi poſſe exiſtimatur.*

tur. Neq; *enim humi repere nouit illuſtris ac ſplendida uirtus, ſemper enim ardua ſpectat, et difficillima quæquæ ſibi ſcandenda uincendaq; proponit, ſublata in ſublime dextra proclamans*: Sic itur ad *aſtra. Veteres quidem* Philoſophi *perturbationes animi in ſapientem & conſtantem uirum minimè cadere cenſebant: at nos, uti diximus, nequaquam ab homine exigendum putamus, ut ipſe ab humanis paßionibus penitus immunis exiſtat: neque uirtutem extra humanam poßibilitatem ſtatuimus: ſuperuacuum enim eſt maiora quàm natura patiatur loqui, aut* Philoſophando *differere*. Itaq; *ne ipſi naturæ iniuriam faciamus, paßiones ipſas & affectus omnino uetari uel excludi non poſſe fatemur: ſed naturæ ipſius ſtimulos in exercendæ uirtutis occaſionẽ producendos eſſe* Chriſtianæ Phi*loſophiæ ſententia confirmamus*. Q*ui de re cùm nulla humana ſapientia effici queat, ut homo non timeat, doleat, cupiat, amet: hoc nobis perſuaſum eße debet in his frenandis moderandisq́; paßionibus oblatam nobis eße uirtutis materiam. Sanè, ut quidam ait humanæ paßiones perfectiones ſunt, & cauſæ ſalutis: ſi quis cum illis pugnando uirum*

ſe

ſe eſſe oſtendat. In hoc autem negocio ipſi nobiſcum bellum gerimus, & nobiſmetipſis hoſtes ſumus: quamobrem diuinum auxilium nobis contra nos hac in re eſt implorandum. Sanè inteſtinũ hoc diſsidium ideo nobis eſt innatum, ut etiam ſi exter nus hoſtis defuerit nos nihilominus ſemper nobiſcum exercendæ uirtutis occaſionem habeamus. Illud quidem non eſt inficiandum, ſummam Philoſophiæ arcem eſſe, morte non terreri: ſiquidem ut ſapientes confirmant, inter maximè ardua mentis humanæ opera eſt mortem contemnere. Sed quò difficilius, hoc præclarius: huic autem rei cum primis utile eſt ſub erecta in cœlum mente æterna frequentius contemplari, atque etiam conſueſcere animum eiuſmodi meditationibus à corpore abducere: hoc namque modo imaginaria quædam migrationis ſpecies efficitur, quæ in aſſuetudinẽ deducta ad ueram migrationem, cum res exegerit, habiliorem quemq; ac promptiorem efficiet. Ille etenim mortem ſibi familiarem feciſſe uidebitur, cuius animus multa contemplatione altius ſeſe attollens è corporeo tabernaculo frequenter digreſſus fuerit: Pulchrè Aurelius Auguſtinus in con-

templanda, inquit, ueritate tanta uoluptas eſt, quantacunque ex parte eam quiſque contemplari poteſt: ut quominus impediatur anima tota toti inhærere ueritati, mors quæ antea metuebatur, id eſt, ab hoc corpore fuga et elapſio pro ſummo munere deſideretur: hæc ille. Sed & ad terrenũ illum affectum ratione temperandum in precipuis remedijs erit ſagacius intueri ac cogitare, quòd corpus cui tantopere anima ipſa afficitur ea qua nunc eſt ſpecie ſordidum, impurum, fœtidum, ac per ſe ſpurciſſimum eſt, atque ad hæc fluida res omnibus obnoxia cauſis: quæ ſi deterſis oculis anima conſiderare uoluerit, certè mirum immodum ijs offendetur: atq; hanc ob cauſam impuri ſordidiq; huius amictus, quo ipſa, dum altiora ſpeculari conatur, deprimitur, minus ægrè feret depoſitionem, præſertim cum ob terrenam hanc cui ipſa coniugata eſt molem, ab æterna fœlicitate aſſequenda retardetur: quo fit ut illa minus anxiè diuortium hoc ferre debeat per quod illa beatitudinis portum aſſequitur. Vnde pius quidam Pater. O anima, inquit, inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata fide, dotata ſpiritu, redempta ſanguine,

deputata

deputata cum Angelis, particeps beatitudinis, hæres bonitatis: quid tibi cum luto & carne? quæ quò magis ſaginatur, eò ſpiritum tuum magis reddit macilentum. Inſuper ea quoque ratio huiuſce diſſolutionis acerbitatem ſolari debet, quòd ipſa ſeparatio non ita perpetua eſt, ut nunquam amplius anima ueſtimentum hoc ſuum uiſura, aut receptura ſit: quippè ueniet dies, quo iſta iterum cum decore, illuſtrique ac coruſca ſpecie iungentur. Cuius rei ſpe ac fiducia motus optimus ille Iob exclamat. Credo quòd redemptor meus uiuit: & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea uidebo Deum ſaluatorẽ meum: quem uiſurus ſum ego ipſe, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. Ad quod alludens Magnus ille Euangelicæ ueritatis buccinator Paulus: CHRISTVS, *inquit, reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & omnes in* CHRISTO *uiuificabuntur. Et iterũ. Et nos credimus propter quod & loquimur, ſcientes quoniam qui ſuſcitauit* IESVM, *& nos cum* IESV *ſuſcitabit. Item ſaluatorem*

torem expectamus Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, *qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Et idem ipſe ad Theſſalonicenſes ſcribens: Nolumus autem uos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quòd IESVS mortuus eſt, & reſurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per IESVM adducet cum eo: hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini: quia nos qui uiuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini nō præueniemus eos qui dormierunt: quoniam ipſe Dominus in iuſſu & in uoce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: et mortui qui in CHRISTO ſunt reſurgent primi. Deinde nos qui uiuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam CHRISTO in aëra: & ſic ſemper cum Domino erimus. Itaque conſolamini inuicē in uerbis iſtis. Caro mea requieſcet in ſpe, inquit Propheta, propter hoc lætatum eſt cor meum: & exultauit lingua mea. Hac igitur ſpe freta anima ſine gemitu, ſine querela, ſine ſuſpirio cum migrandum fuerit, corpus ſuum deponat terræq́;

commendet

commendet dicens: Aliquando iterum te uidebo, & præſtante Deo glorioſiore ſpecie decoratum te recipiam. Scitiſſimè ſuo more Hieronymus. Terra, inquit, ſumus & cinis: & per omnia momenta de noſtra ſalute periclitamur. Quid ergo detrectamus facere de neceſſitate uirtutem: certè quandoq; moriendum eſt: quod ſi uoluerimus contemnere id quod ſumus, merebimur melius eſſe, quàm ſimus. ALMAR. Hæc mihi uehementer ab ijs diſcrepare uidentur, quæ abs te ſuperius aſſerta fuiſſe recolo: nempè tu animam in corpore tanquã in proprio repoſitorio uaſculoq; locatam eſſe ab initio confirmaſti: neque id quidem in animæ ipſius quaſi prius malè meritæ grauamen, pœnam uel odium, ſed in illius gratiam potius, & ad utilitatis occaſionem à Deo fuiſſe inſtitutum. At nunc longè diuerſum quiddam nouiſſimus hic ſermo ſonare uidetur, quòd dicas ipſum corpus ob impuritatem, pondusq; ac fragilitatem, necnon uarias quas præbet noxiarum perturbationum occaſiones animæ ſurſum ſe attollere cupienti impedimento eſſe, ac per hoc ſpernendum eſſe illius contubernium, nec illius depoſitionem ægrè ferendam: quod certè e-

tiam Paulinæ illi ſententiæ aduerſari uidetur, qua dictum eſt hominem ingemiſcere, eo quòd non expoliari hoc tabernaculo, ſed ſuperueſtiri deſiderat. THAVT. *Dictorum ratio ſanè intellecta ac diligẽter expenſa contradictionem omnem excludit. Planè id quod ſuperiore ſermone humanum corpus proprium animæ uaſculum eſſe, utilitatiſq́; & profectus gratia illi coaptatum extitiſſe diſſeruimus, non ita accipiendum eſt, ut quis propterea arbitretur corpoream hanc habitationem nihil uſquam habere quo anima & offendi & prægrauari poßit. Namque ut animus, qui ob ſuæ nobilitatis præſtantiam ſuperbire paratus eſt in humilitatis gradu contineretur: utque nonnullis ingeſtis difficultatibus uirtute potius quàm ocio & inertia ad ſupernæ fœlicitatis præmia perueniret, terrenum habitaculum à ſummo illo opifice illi fuit aßignatum: Idq́; uarijs infirmitatibus & paßionibus animam ipſam perſæpe fatigantibus naturæ conditione ſubiectum. Itaq́; ſi ſatis per ſe coniugium ipſum placet, ſed plerunq́; alterius quidem diſplicent mores: & quod una ratione gratum eſt, nonnunquam alia reperitur ingratum: proinde nil mirum ſi is qui*

uno in loco aiebat: Nos *qui in hoc tabernaculo ſumus, ingemiſcimus grauati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri: id eſt, ſuper ueſtem naturalis corporis ſtola gloriæ & immortalitatis abſq; morte naturæ indui; ut abſorbeatur quod mortale eſt à uita. Idem ipſe alio loco, ait:* Infelix *ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Atque *ijs quidem uerbis dum corpus mortis appellat de peccati fomite corpori inhærente, de que ipſa corruptorum affectuum officina ſenſiſſe intelligitur: alioquin tam odioſa nuncupatione minimè uſus fuiſſet.* Ergo *ſanctæ animæ proprium eſt non ueſtimenti ipſius depoſitionem, ſed illius deterſionem, & ponderis ſordiumq; quibus anima ipſa prægrauatur ablationem & emundationem optare.* Verum *quoniam ita ab omnipotente* Deo *conſtitutum eſt, ut neque ſine ſpoliatione ueſtimentum ipſum reformari, neque anima ſine corporis depoſitione ad æterna præmia conſcendere ualeat: ſupereſt ut fidelis quiſq; cum* Paulo *dicat.* Cupio *diſſolui et eſſe cum* CHRISTO. Enimuerò, *ut idem ait:* Sci*mus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex*

Deo habemus domum non manufactam ſed æternam in cœlis. Peſſimus ille Nero olim urbis Romæ Princeps ſimul & inimicus aiebat ipſius Vrbis incendium ob hoc unum ſibi dolori eſſe, quòd ſciret meliora ſurrectura quàm arſiſſent. Igitur cum intelligamus id quod in nobis morte cadit clarius aliquando ſurrecturum: hoc proculdubio magnum cuiq; debet afferre ſolatium. Ex ipſo quidem naturæ appetitu naſcitur timor, & fuga mortis: ex appetitu uerò gratiæ ad metum mortis pedibus ſubijciendum ingens ſurgit audacia: profectò deſiderium gratiæ naturæ deſiderio quàm maximè retardatur: ſed ipſum gratiæ decus affectum naturæ debet ſuperare. Equidem humanæ infirmitatis affectus exerta uirtute proculcandus eſt: & quantacunq; ſit (ut Auguſtinus ait) mortis moleſtia, illam uincere debet uis amoris, quo ille amandus eſt, qui cum ſit uita noſtra etiam mortem uoluit perferre pro nobis. Hæc ille. Igitur cum duplex ſit in homine uoluntatis portio, quarum altera humanitati fauere nititur, altera uirtuti: uidendum erit, ne humanitatis blandiciæ uincant appetitum uirtutis & gratiæ. Illud quidem de Petro CHRISTO

protulit:

protulit: Cum ſenueris, alter ducet te, quò tu non uis. Sed hoc infirmioris portionis ratione dictum eſſe nemo eſt qui non planè intelligat: quandoquidem uoluntariam fuiſſe Petri ipſius mortem et paſſionem ſatis conſtat. Heroica profectò uirtus & ſi infirmitatis humanæ retinaculis plerunq; à procurſu inhibeatur: ubi tamen illa caput erexerit, effœminatam omnem molliciem ſuccumbere cogit, uirilemq; animum ſic ſua præſtantia contra id quod intus reluctatur roborat, ut eneruatæ illius, quàm diximus, uoluntatis portio ſæpius bibere cogatur quod non ſitit. Huius autem pugnæ quæ in nobis ipſis ob affectuum ac uoluntatum diſſidentiam geritur, CHRISTVS *ſeruator in ſe egregium ſpecimen, inſtãte paſſionis ſuæ tempore, exhibuit. Idque ob eam primùm cauſam, ut humanæ conditionis ueritas in ſua perſona demonſtraretur: Deinde ut eo facto ipſe nos inſtrueret quid nobis agendum foret, quum naturæ affectus noſtram ad Deum profectionem, necnon animi noſtri ad æterna bona procurſum remoratur: ſimulq; etiam ille exemplum hoc impoſterum mortalibus utile futurum indicauit, ne quis poſt hac ob id de ſua ſalu-*

te diffideret, quod non leuem fortè in ſeipſo perturbationem, humani'que affectus repugnantiam, quum migraturus eſſet, preſentiret. Atqui cum CHRISTVS *ipſe uerus homo eſſet, delicatioriſq; naturæ carnem aſſumpſiſſet: præterea acerbiſsimos quos paſſurus erat cruciatus tanquã præſentaneam rem intueretur & præuideret, nihil profectò mirum ſi in tanta re humanitatis infirmitas turbaretur, & in ipſo tam horrendæ paſsionis acceſſu ipſe palleſceret ac ſudaret. Quinetiam ſi rem uti meretur, altius meditari uoluerimus, profectò intelligemus quòd quantò in ipſo aditu uehementior fuit humanitatis turbatio, tantò maioris et excellentioris uirtutis extitit tale ſubinde ac tantum uiciſſe portentum. Quapropter nequaquam ocioſè hæc nobis prodidiſſe cenſendi ſunt, qui hunc in modum geſtarum rerum hiſtoriam diuino afflante ſpiritu, tradiderunt. Porrò ingentes ad ſuperiorem illam portionẽ excitandam ſtimulos adijcere ſolent, tum uitæ huius frequentes moleſtiæ mente recogitatæ ex quibus plerumq; quædam ipſius uitæ ſatietas, necnon & præſentium rerum faſtidium naſcitur: tum etiam æternorũ bonorum,*

&

& cœleſtis beatitudinis anhela & feruida ſitis: ijs namq; permoti complures Viri ſanctiſsimi mortem expetijſſe leguntur: In quibus Helias Deo acceptiſsimus fuit, qui ait; Sufficit mihi Domine tolle animam meam, neq; enim melior ſum quàm patres mei: Item & Thobias Vir probatiſsimus, quem ſic oraſſe conſtat. Nunc Domine ſecundùm uoluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quàm uiuere. Ipſe quoq; Iob inquit, Tædet animam meam uitæ meæ. Sed & ipſum regiæ dignitatis Prophetam ob prolongatum ſibi hunc incolatum gemuiſſe ipſæ ſacræ literæ teſtātur: lucroſius certè hi omnes exiſtimabant ſeculi huius ærumnis citò eximi, & ad patrum ſuorum cœtum proficiſci, quàm diutius in hac lachrymarum ualle pendula mente fluctuare. Vnde idem ipſe Rex ac Propheta alio loco ſuum ipſius deſiderium ijs uerbis teſtatur. Quemadmodum, inquit, deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum: quoniam ueniam & apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dici-

tur mihi quotidie ubi eſt Deus tuus? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam quoniam tranſibo in locum Tabernaculi admirabilis uſq; ad domum Dei. In uoce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis. Quare triſtis es anima mea, & quare cõturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare uultus mei & Deus meus. Sic igitur tametſi naturale fœdus animæ et corporis ad effugiendam mortem uehementer humana pectora ſolicitet: quandoquidẽ, ut ait Cicero, principio generi animantium omni eſt à natura tributum, ut ſe uitam corpus'que tueatur, declinetq; ea quæ ſibi nocitura uideantur. Attamen rei huius quidam debet eſſe modus: & hoc deſiderium rationis imperio ſic eſt temperandum, ut nimia corporis dilectio tum animæ, tum corpori perpetuum exitium non afferat. Nam, ut uir quidam ſanctiſſimus ſcribit, quiſquis ſeipſum præter modũ amat, hic certè Deum non amat, & dum ipſe Deum, ut par eſt, non amat, etiam ipſe uitam ſuam non amat: qui enim uiuere non poteſt de ſe, moritur utique amando ſe: ſed cum ille diligitur de quo uiuitur, uita ſua proculdubio amatur. Ideo nemo ſe immoderatè

aut

aut irrationabiliter diligat, ne uitam ſuam perimat. Equidem uirum quencunq; Chriſtianum decet nõ ſolùm hanc uitam contemnere, ac metum mortis poſtergare: ſed & operæprecium illi eſt cum gaudio & exultatione ad Dominum ſuum proficiſci. Enimuerò tametſi ueterum Philoſophornm traditione in explicanda fortitudinis actione minimè neceſſe eſt gaudium accedere, ſed ſatis ſit non triſtari: Chriſtianam tamen fortitudinem & uirtutem illuſtriore ac perfectiore gradu decet eſſe ſub erectam, ipſo nos adhortante Domino & dicente: Gaudete et exultate, quoniã merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Proinde Apoſtolus monet ut tametſi aliquam triſtitiæ occaſionem ipſi habere uideamur, ſemper tamen gaudentes ſimus. Huic etiã CHRISTVS *Dominus nos ad cõtemnendam mortem cohortatus ait; Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere: Et ad hæc. Niſi, inquit, granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit multum fructum affert: qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in uitam æternam*

cuſtodit

cuſtodiat eam. Sanè diſſolutionē humanitatis horrere naturæ ipſius eſt: uincere autem naturam uirtutis & gratiæ. Atqui uirtutem & gratiam ab illo habebimus qui nobiſcum eſt, quiq; ſemper milites ſuos confortat: quod haud dubiè aſſequemur, ſi rē totam illi commiſerimus, illiq; dixerimus, fiat uoluntas tua. Porrò quemadmodum Auguſtinus ſcribit *nonnulli ſunt qui cum patiētia moriuntur. Item alij qui cum patientia uiuunt, & utriq; iuſti: qui enim adhuc uitæ huius deſiderio tenetur, immminē tēq; die mortis patienter caſum tolerat, & in eo ad uerſus ſe ipſum magno conatu luctatur, ut* Dei *uo luntatem ſequatur: et hoc potius eligit animo quod uult* Deus, *quàm quod humana uoluntas expoſcit: ſicq; ex præſentis uitæ deſiderio fit pugna cū mortē, is certè fortitudinem & patientiam adhibendo, ut æquo animo moriatur iuſtus dici meretur. Qui autem deſiderat diſſolui & eſſe cum* CHRISTO, *hic non uſqueadeo in morte patitur, ſed patienter, quandiu* Deo *placet, in hac uita moratur, & delectabiliter mori uidetur, & per hoc ipſe* Deo *acceptus eſſe cenſetur: hæc* Auguſtinus. *Cæterùm nequaquam prętermittendum uidetur* Dei

gra-

tiam hac in re modis omnibus nobis eſſe ambiendam: quandoquidem illa copioſius affluente motus affectusq́; naturæ facilè comprimuntur. Conſtat equidem pleroſq; ea ipſa roboratos ſine ulla trepidatione læta hilariq́; fronte mortem excepiſſe, tributuḿ que illud naturæ, urgente Dei *imperio, cum gaudio exoluiſſe.* ALMAR. *De naturalis fœderis colligamento, eiusq́; retinaculis, inſuper & de remedijs hac in re opportunis ſatis dictum arbitror, quippè non multis opus eſt, ſed efficacibus. Nunc conſequens eſt, ut de altero ſupra memoratæ partitionis articulo, id eſt, de mundanarum deliciarum glutino, necnon de uarijs terrenorum oblectamentorum ineſcamentis non nihil ſummatim ipſe perſtringas.* THAVT. *Hoc bitumine nihil eſt, mihi crede, neq; rapacius, neq; tenacius. Itaq; ſummo ſtudio præcauendum eſt, ne fallaci ſpecie decepti in hunc hamum dertrahamur: quiſquis enim ſe in eiuſmodi capturam dederit, et incauta facillitate ſe illaqueari paſſus fuerit, hic uix caſum ipſum, ne dicam mortis, ſed nec illius quidem commemorationem æquo unquã animo patietur, quin ad ſolam illius mentionem totus ringi incipiet, & horrore*

horrore concutietur ac contremeſcet. Proinde nõ abs re Paulus eum qui in delicijs uiuit mortuum reputat. Certè hi quorum animus ſemel eſt delicijs ineſcatus, non niſi ægrè ab illis diuelluntur, neque ſine acerbiſſima cordis laceratione eas deſerere poſſunt: quo fit ut uehementer mortem perhorreſcant: et cum migrandi neceſſitas inſtiterit, plerumque in deſperationis foueam miſerabiliter prolabantur. Hanc quidem uitam idcirco Deus laboribus ſudoribusq; implicitam eſſe uoluit, ut duris caſibus attriti mortales ad ſupernorum deſiderium anhelarent: quandoquidem ſecundarum rerum iugis affluentia, necnon et uoluptatum illecebræ hominem à Deo ſolent auertere, & propriæ ſalutis obliuionem parere. Sed & eædem ipſæ propinqua morte ſummopere illius mentem, qui eas relicturus eſt, diſcruciant, excarnificant, torquent, ingentiq; moleſtia afficiunt. Ergo quiſquis placida mente mortem præſtolari & cum Deus iuſſerit, iſthæc omnia relinquere deſiderat, hoc non cum delicijs et uoluptatibus fœdus ineat, ſed illis firmo conſtantiq; animo acerrimũ bellum indicat: quod eò promptius facere quiſque debebit, quò conſtat delicijs

ac

ac uoluptatibus ſenectam mortemq; accelerari: per eas namque ipſi noſmet interimimus, & dies plurimos nobis præripimus: ſic ille et præſenti uitæ obſunt & futuræ: ſed & ſi hic longa forte uita fuerit, ipſæ uoluptates efficient, ut ætatis tempus quàm breuißimum fuiſſe uideatur: ſic ab illa perditi homines faſcinantur: neceſſe eſt enim, quemadmodum Seneca *ait: ut ijs breuis uita uideatur, qui illam infinitis uoluptatibus metiuntur.* O *quàm luctuoſa eſt eiuſmodi hominibus uox illa:* Diſpone *domui tuæ quia morieris tu, & non uiues.* Vel *illa:* De *lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris.* Quod *ſanè decretum quandoq; propinquius eſt quàm putatur.* Quid, *quæſo, iuuat deliciari, epulari, ſaginari, ubi tam modico poſtea interuallo ſequitur extinctio? profectò ſapientis non eſt tanti emere pœnitendi cauſam.* Itaque *ſatius eſt durum illud* Abrahami *reſponſum frequenter mente reuoluere: ad eum, qui per totam uitam ægregiè fuerat epulatus, ac ſubinde duris apud inferos flammis cruciabatur.* Recordare, *inquit, quanta bona recepiſti in uita tua, &* Lazarus *ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur: tu uerò*

cruciaris. Hæc certè uerba uoluptuoſis hominibus ſpinoſiora ſunt. Tum et illa ualde moleſta, quæ habent, quantum fuit in delicijs, & quantum glorificauit ſe tantum date ei tormentum & luctum. Effuſo aliquando, ut eſt in fabulis, melle, cùm muſcæ undiquaq; aduolarent, illitis ſubinde pedibus, alisq; craſſo liquore glutinatis detinebantur: & cum euolare non poſſent, morientes dicebant miſeræ nos, quæ ob modicæ uoluptatis fruitionem uitam perdimus. Pulchrè ſapiens, Malicia, inquit, horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ. Ergo qui ſapit magis æternas delicias appetat, quàm præſentibus oblectetur. Certè ij qui ſecus agunt, Chriſtiani dicendi non ſunt. Quid beatam uitam in regione mortis quærimus, & delicias tantopere amamus? Sapientius Vlyxes, qui niſi uelatis oculis obturatisq; auribus uinctus Syrenarum loca præternauigare noluit. Aſſueſcamus ferre dura, nosq; aſperis in rebus exerceamus, & à blandimentis quibusq; quantum licebit, animum corpusq; abducamus. Quamlibet uiam patiuntur, ut Seneca ait: iumenta, quorum ungulas in aſperis locis à teneris annis aſſuetudo durauit: fortior miles ex confra-

goſo

goſo uenit ſeueriorq́; loci diſciplina firmat hominis ingenium, illumq́; magnis conatibus aptum reddit. Vegetio uerò teſte, ille minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in uita. Igitur tametſi rerũ omnium copia nobis ultrò ſe offerat, minimè tamen habenas laxare debebimus uoluptati, ne mortifera dulcedine ineſcati pereamus. Certè hac in re perquàm ſalubre conſiliũ eſt ut omnia quæ placent & delectant quaſi perforato animo excipiantur, id eſt, ut tranſmittantur, & effluere ſinantur: Inueniſti mel, ait Sapiens, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud. Et ad hæc: Poſt concupiſcentis tuas non eas: & à uoluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Item. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur ibit cum illo. Certè qui in uoluptatem pronior eſt, hic non re, ſed nomine tantùm homo eſt: animum enim erectiorem uirilis conditio deſiderat. Itaq; & uictus & cultus corporis, teſte Cicerone, ad ualetudinem & ad uires referri debent, non ad uoluptatem. Summa autem hac in re cautio eſt, obſtare principijs, et non ſinere ſe diutina con-

ſuetudine corrumpi: quòd ſi quis fortè non quantùm oportet oculatus in ſcrobem lapſus ſit, quanquam inueteratorum malorum difficilis curatio, profuerit tamen oculos manusq́; in cœlum tollere, ac ſupplicibus uotis diuinam implorare medelam, & cum Propheta dicere. Saluũ me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ uſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia. Non mediocriter etiam conducet ſapientis Hebræi uerba ſæpius mente agitare. Dixi in corde meo, uadam & affluam delicijs, et fruar bonis. Et uidi quòd hoc quoque eſſet uanitas. Riſum reputaui errorem: & gaudio dixi. Quid fruſtra deciperis? Vanitas uanitatum et omnia uanitas. Cuncta Deus adducet in iudicium. Optimum quoque conſilium fuerit, ut quis ſenſim ac pedetentim ſubducere ſeſe ſtudeat à rerum oble ctantium conſuetudine: Et quòd repente præſcindere non poteſt, paulatim ſtudeat diſſuere. Qua in re plurimũ conducet, ſi quis, quemadmodum iam ſæpe dictum eſt, frequentem apud ſe nouiſſimorum ſuorum memoriam die nocteq́; uerſarit. Illa quoq; per quam falſæ doctrine magiſtri uerba cuiq; exaudiſſe conueniet,

ueniet, dum ait: Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus: & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de uentre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum & timores cordis adinuentiones expectationis, & dies finitionis, à præſidente ſuper ſedem glorioſam, uſque ad humiliatum in terram et cinerem ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam uſque ad eum qui operitur lino crudo. Furor zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis: iracundia perſeuerans, & contentio, & in tempore refectionis in cubili ſomnus noctis immutat ſcientiam eius. Modicum autem tanquã nihil in requie:, & ab eo in ſomnis quaſi in die reſpectus. Conturbatus eſt in uiſu cordis ſui, tanquam qui euaſerit in die belli. Hæc certè meditata procliuiores in uoluptatem ac uanitatem mentes non mediocriter frænabunt ac remorabuntur. Probum eſt igitur Prophetæ illius conſilium, qui ait: *Date Domino Deo ueſtro gloriam, antequam, contenebreſcat: et antequam offendant pedes ueſtri ad montes caliginoſos, Expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis & in perpetuam caliginem.* Defecit

caro mea & cor meum, inquit regius Pſaltes, Deus cordis mei, et pars mea Deus *in æternum.* Q*uia ecce qui elongant ſe à te peribunt: perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* Mihi *autem adhærere* Deo *bonum eſt, & ponere in* Domino Deo *ſpem meam.* Porrò *quòd ad ſummã pertinet, haud ſcio, an quiſpiam tam arrogans eſſe poßit, ut quod quidam ait: obſequij uel laboris mercedem in cœlo ſperare audeat, cuius, dum uiueret, tota cura fuit ut deliciaretur in terra.* ALMAR. Hic *de uoluptatis ac deliciarum glutino articulus haud quaquam, meo iudicio, ampliorem ſermonẽ deſiderat.* Nunc *quod in partitionis ordine tertium fuit, nobis aggrediendum eſt.* THAVT. Nemo *eſt mea ſententia, qui neſciat diuitias, honores cæteraq; externa bona uehementer hominum mentes à cœleſtium bonorum deſiderio auertere, & periculoſis nexibus illaqueatos poſſeſſores ſuos retinere: quo fit, ut cum migrandum eſt, triſtis admodùm et moleſta illis tragœdia uideatur: proinde homini ad ciuitatem* Dei *pergenti in primis neceſſarium eſt, externa quæq; deſpicere, pedibusq; ſubijcere, ac calcare, ut liberis habenis ad illud immenſum bo-*

num uoluntatem ſuam poſsit erigere. Certè is qui ſe fugaciſsimis his rebus dediderit, aut citò ab illis fortuito aliquo caſu deſeretur: aut ipſe illas morte deferet. Quantò igitur ſatius Senecæ conſilio acquieſcere, & omnia iſta tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpectare: quas, cum exeundum fuerit, quiſque cogetur relinquere. Quid ergo hæc tanquam noſtra diligimus? quid hæc ſuſpicimus? quid hæc adoramus? quid illa ipſa tam ardenti affectu amplexamur? Altius aliquid ſublimiuſque meditemur, nobiſq; aſſequendum proponamus. Sanè conſtat quemadmodum ex præſentium rerum tædio uel deſpectu leuior efficitur mortis expectatio: ſic ex immodica illarum dilectione triſtiorem & amariorem reddi exitum ex hac uita. Porrò ubi ob hæc terrena triſtamur uel dolemus, non modò nihil proficimus, ſed etiam multò magis grauamur: ſin uerò ob contractas peccatorum maculas mœreamus, non mediocriter proficimus, illaſq; delemus, ac Dei gratiam, beneuolentiamq; & fauorem haud dubiè nobis conciliamus atque comparamus. Rectè igitur conſulunt qui monent, ut is qui non grauatè migrare, uerùm ad caſum omnem expedi-

tus eſſe deſiderat cum primis obſeruet, ne animus ſuus terrenis rebus agglutinetur: ſed in contemplanda immortalium bonorum excellentia iugiter ſeſe exerceat: ſemperq; ita proteſtetur, Dei uolo *eſſe, non mundi.* Profe*ctò in ardua & inſuperabili arce ſtat animus ille, qui externa contemnit, et caduca omnia ſibi nihili pendenda ſtatuit.* Planè, *ut diuus* Hilarius *ſcribit*: Amor rerum *præſentium complures aut illecebris capit, aut infidelitate confundit.* Ambiant, *inquit* Hieronymus, *terrena gentiles, quibus cœleſtia non debentur: concupiſcant præſentia qui futura nõ credunt: propter eà nempè colonus & hoſpes mundi datus eſt homo, & breuis illi conceſſa uita, ut ſpe* prolixioris *ætatis abſciſa, cuncta quæ poßidet uelut ad alia profecturus aſpiciat: & quantum poteſt, in uita ſua benefacere ſtudeat, nec in congregandis opibus fruſtra torqueatur.* Hæc *ille.* Heu *miſeri, nos qui surſum caput habemus, cor uerò in terram defigimus.* Q*uondã apud* Belgas Germani *quidã fratres ſanctioris uitæ propoſito accenſi, & ad liberius* Phi*loſophandum monaſticam uitam ducere cupientes iuniori cuidam ſuo fratri dixiſſe perhibentur.* Nos

tibi

tibi frater totam paternam hæreditatem, & quicquid temporalium bonorum poſſidemus ultrò relinquimus, omniq; iuri ſponte cedimus, namq; propoſitum nobis eſt cœleſtia parare, et ad illa promerenda, Deo duce quam primùm iter arripere. Ad quos ille. Siccine uobis æquum uidetur, ut ego terrena contentus hæreditate maneam: uos ad cœleſtia poſſidenda pergatis? quænam eſt hæc pietas, ualeant caduca iſta: ego certè non inferiore quam uos affectu æternorum atque immortalium bonorum particeps & cohæres eſſe uolo. O quàm inſani et infœlices ſunt qui terrena cœleſtibus præferunt, & præſentium uanitate deliniti æternæ uitæ iacturam facere non extimeſcunt. Quid, quæſo, prodeſt impotentius amare hoc quod breui nobis utcunq; relinquendum eſt? Quis uerò ambigit eum amorem turpem eſſe, quo animus aliquid ſeipſo uilius aut inferius præter modum aſſectatur? Certè rectus ad æternam uitam curſus nunquam rectè perfici poteſt, ſi in uia hæreamus, aut retrocedamus, uel aberremus: quàm uerò abſurdum eſt exilium pro patria diligere. Agnoſcat quiſq; ubi ſit, & propter quid: profectò nemo poteſt futu-

ram gloriam, quantum oportet, exoptare: niſi prius externa iſta contemnere didicerit, nec ad præmium peruenire, niſi qui plus Deum amauerit quã ſeculum, Veniat in me, aiebat Ignatius, ignis, crux beſtiarum, confractio, abſciſio, ſeparatio, diſſipatioq; membrorum, interitus totius corporis, & flagella diaboli omnia, ut CHRISTVM merear adipiſci: nihil me iuuant ea quæ ſunt mundi huius: melius eſt mihi mori in CHRISTO, quàm regnare in terra. Audiamus ad hæc Stridonenſem illum Theologum. Reſpuantur, inquit, æternitatis amore terrena: nam & hæc omnia etiam ſi pro æternitatis præmio non reſpuantur, ſunt tamen intra paucos annos uel dies peritura. Amittunt etiam hæc illi qui ſemper ea cupiunt retinere, quàm multos memoria noſtra retinet in maximis honoribus & diuitijs conſtitutos repente de ſummo illo potentiæ faſtigio concidiſſe? & eos qui tumore elati aliud quiddam quàm homines ſe eſſe putabant, exitu tándem ſuo docuiſſe qui fuerint: quid enim in mundo ſtabile? quid uerò firmum eſt? quid porrò nõ breue & incertum, & caſui non ſeruiens? quale iſtud bonum eſt quod ſemper timeas amittere, quod

uel

uel auferendum abs te metuas, uel à te relinquendum ſcias? Nam & ſi nullo eripiatur caſu uel morte, certè perdendum eſt: hæc tu tecum diligenter reuoluens, & breuitatem uitæ huius æternitatis contemplatione deſpiciens, ipſum quoq; contemptum mundi maiori cum uirtute contemne, & ad illum tantum diem te para, in quo mundi huius gloria finienda eſt: hæc Hieronymus. Ad *quæ diu cuiuſdam* Archimandritæ *pia quædam magis quàm diſerta carmina ſubiunxiſſe non pigebit.*

Si mihi ſint uires & prædia magna, quid inde?
Auri atq; argenti quotcũq; talenta, quid inde?
Si mihi ſint nati Regis *de ſtirpe, quid inde?*
Ingens ſeruorum circunſtet turba, quid inde?
Si fœlix annis regnarim mille, quid inde?
Tam citò prætereunt hæc lubrica quòd nihil inde.
Ergo, quiſq; Deo placeat, quoniam ſatis inde.

Et hæc candidæ ſimplicitatis auribus recitata ſint. Cæterùm hoc in ſumma memoratu dignum eſt, quòd nulla nobis cum cœlo ratio eſſe poteſt, ſi animo in terrã procumbimus: quòdque ille alta conſcendere non poterit, niſi qui prius ea quæ ima

ſunt

ſunt uiriliter animoſeq́; calcarit. ALMAR. *Sic ramulos quoſq; ſigillatim carpendo in ſummum euademus. Perge, queſo, ad quartũ eorum, per quæ hominum diſtinere ſolent uoluntates, ne in excipienda morte, quum ille qui rerum imperio potitur, hoc iuſſerit, ſortem ipſam æquanimiter ferre ualeant.* THAVT. *Frequens eſt penè ubiq; hoc malum, ſcilicet quòd hi qui uehementer aliquid ex mundi huius rebus aſſequi concupiſcunt, niſi expleta ea animi cupiditate, quaſi intempeſtiuo fato atq; iniquo decreto urgeantur, grauiſſimè atq; impatientiſſimè mortis caſum ferre uidẽtur. Alij quidem prius quàm ipſi uita excedant adultos liberos cernere, alij cœpta à ſe opera conſummare: alij etiam conſummatis ſummoq́; interdum labore partis rebus aliquandio frui poſſe. Item alij, quo clariores, atq; illuſtriores moriantur, ad honorum & dignitatum faſtigia conſcendiſſe in præcipuis uotis habent: quæ ſi non adepti fuerint, mirum in modum morte anguntur. Illorum certè minimè taxandus uel reprehendus eſt affectus, qui nõnihil quod ad pietatem uel charitatem pertineat ante obitum ſi... abſoluere, aut conſequi deſiderant: ſed nec* illi

illi quidem culpandi, qui naturali uoto impulſi, ea quæ non improbandam habent cauſam appetunt: quemadmodum Iacob antequam excederet Ioſephum filium uidere, & Moſes pollicitam Iſraëlitico populo terram ingredi ac luſtrare affectabat: nobilem quoq; illam fœminā Druſianam apud Epheſum ijs uerbis legimus deſiderium ſuum ſæpius declaraſſe. O ſi uideam Apoſtolum Domini antequam moriar. Cæterùm utcunq; res habeat, nuſquam profectò humana deſideria ita ſunt producenda, ut illa ultra diuinæ uoluntatis limites quaſi effrenati animi procurſum extendere quiſquam meditetur, Equidem ſi ea quæ ipſi efficere cupimus pietatem uel charitatem reſpiciant: nec ulla noſtra mora uel culpa interceſſerit, quominus ea tempeſtiuè abſoluerimus, ſi fortè ante illorum conſummationem morte præuenti fuerimus: illud nos ſolari debebit, quòd non pro ratione et modulo facti operis, ſed pro menſura bonæ uoluntatis à Deo præmia recepturi ſumus. Quòd ſi fortè hoc quod in animo egerimus non eius generis ſit ut id ad pietatem uel charitatem pertineat, nobis certò certius perſuadere debebimus, non ſine Dei prouiden-

tia fieri quòd res ipſa à nobis perfici & conſummari nequiuerit, idq́; ad ſalutis noſtræ rationem haud dubiè magis fore accommodatum. Atqui tametſi uariæ plerumq́; in eiuſmodi rebus intercedere ſoleant mortaliũ querelæ: ipſi tamen nobis maximè ſuccenſere debemus, quòd tunc uiuere, et de rebus noſtris cogitare incipimus, cum migrandum ac deſinendum eſt. O quãta dementia eſt ſpes longas inchoantium, inquit Seneca. Emam, ædificabo, honores geram, & laſſam poſtea ſenectam in ocio tranſigam: omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt & incerta: nihil ſibi quiſquam de futuro debet polliceri. Id quoque quod in manibus tenetur effluit: uoluitur quidem tempus rata lege: ſed per obſcurum longas nauigationes, ſeros in patriam reditus proponimus, militiam et caſtrenſium laborum præmia, procurationes, ſacerdotia, officiorumq́; per officia, proceſſus, & aſcenſus, cum interim ad latus mors eſt, quæ nunquã cogitatur, niſi cum aliena exempla nobis ingeruntur: quæ etiam non amplius memoriæ hærent, quam dum ea mirantes cernimus: omnes quidem ſcimus fatum impendere: ſed nemo noſtrũ ſcit quàm propè uer-

ſetur

ſetur terminus. In ſpe uiuentibus proximum quodque tempus elabitur: ſubitóq; auiditas uitæ longioris: ſicq́; miſerrima omnia facit metus mortis. Pauci certè ſunt, qui ſe & ſua conſilio diſponant: cæteri eorum more qui in fluminibus innatant non eunt, ſed feruntur, & rapiuntur, cumq́; uago propoſito uitam ducant, ſemper illis imperfecta eſt uita, & illorum ſpes interrupta. Sed & hoc in pleriſq; contingit, quòd prius ipſi uiuere deſinunt, quàm benè uiuere, aut aliquid memoratu dignum aggredi incipiant: quanquàm uitæ bonum non in ſpacio ſit ſed in uſu. Ergo, ſi ſapimus, nihil ex bonis cogitationibus differamus. Sanè meminiſſe quemq; oportet diuitis illius, qui, ut in ſacratioribus literis traditur, ſic ſecum ipſe commentabatur atq; aiebat. Deſtruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona repoſita in annos plurimos: requieſce, comede, epulare. Ad quem Deus. Stulte hac nocte animam tuam repetam abs te: quæ autem paraſti, cuius erunt? Ergo neque ea nobis animo concipienda ſunt quæ in noſtra facultate ſita

non

non ſunt: neque magnæ ſpes nobis proponendæ, quæ in incerto uerſantur. Profectò *ſi uanis iſtis cogitationibus, & futurarum rerum cupiditatibus animum adijciamus, nunquam placidum exitum inueniemus. Sed quemadmodum cum lachrymis et planctu mundum ingreßi ſumus, ita queruli et plorantes exacerbata mente exibimus.* Re*ctißimè qui dem* Deus *uotis noſtris fauere recuſat, nobisq́; aduerſatur, cum illa quæ appetenda non ſunt, appetimus, aut ea quæ fugienda ſunt affectamus.* Maxi*mè autem ad aliqua ante mortem molienda aut cõſummanda hominum mentes ob id accenduntur, quòd humanam gloriam impotentius affectant, nominisq́; & famæ ſuæ immortalitatem uehementius appetunt, hoc uno modo per memoriam ſcilicet & laudem in ore hominum uerſantem ſe ſemper uicturos exiſtimantes: quæ res proculdubio ſanctæ* Philoſophi*æ inſtitutis non congruit: ueri namq; boni ſpeciem, potiuſquàm hominum de hominibus benè opinantium ſermones ſpectare oportet: ſiquidem, ut* Apoſtolus *ait:* Gloria *noſtra, hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Huic *igitur cupiditate per quam nominis famæq́; & gloriæ propagandæ,*

pagandæ, poſteriſq; commendandæ libido alitur Auguſtino teſte, melius reſiſtitur, cum ceditur: tantò enim quiſq; eſt Deo ſimilior, quantò ab hac impuritate mundior: quæ et ſi in hac uita non funditus eradicatur ex corde; quia etiam benè proficientes animos tentare non ceſſat, ſaltem adnitendum nobis eſt, ut cupiditas illa gloriæ ſuperetur di lectione iuſticiæ: ùtquè ipſe amor humanarum laudum erubeſcat, & cedat amori ueritatis: tam enim eſt hoc uitium inimicum piæ fidei, ſi maior in corde ſit cupiditas humanæ gloriæ, quàm Dei timor uel amor, ut Dominus diceret. Quomodo poteſtis credere expectantes gloriam abinuicem, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quærentes. Et de alijs dictum legitur. Dilexerunt enim gloriam hominũ magis quàm gloriam Dei: Hæc Auguſtini ipſius ſententia eſt. Ergo neque ob inexpletos ſuos affectus uel inconſummata ſua deſideria nemo angatur, neq; intempeſtiuã ſibi hac de cauſa fore, mortem queratur, quòd ipſe optata nondum fuerit aſſequutus, uel eò non peruenerit, quò uanæ ſpei pol licitatione ipſe ſe uenturũ puturat. Nempè ijs fruſtrari nos, quàm ſempiternis bonis carere longè ſa

tius eſt. ALMAR. Haud dubiè quatuor ijs quas ſupra memoraſti rebus uehementer mortalium animi, quominus uoluntaria ſit illorum migratio, præpediuntur atq; retrahuntur. Sed tamen, ut uideo, ipſa per ſe ueritas terſioribus perſpicillis ex propinquo conſiderata omnia peruincit, et retinacula omnia diſſoluit ac reſecat. THAVT. Quid ni? Certè ſi ea quæ diximus nõ tam auribus, quàm animis excipiantur, bonis undiquaq; perſuaſionibus extimulata uirtus ſui decoris præſtantiam ſibi uendicabit, cæteraq; omnia, ſi quæ nebuloſiora fuerint, protinus diſſerenabit. Inſuper ut homo iuxta Propheticam ſententiam ſe ſupra ſe erigat, & altius aliquid quàm humana contempletur efficiet. Atqui hoc unum maximè deplorandum uidetur, quòd omnes beatam uitam ſe appetere dicunt: ſed dum illam petunt, in diuerſam partem expanſis uelis remigant: profectò quiſquis ad uitam expedio tramite proficiſci deſiderat, non iſtas, quas ante diximus, humanarum ſolicitudinum cauſas aſſumere, uel ſarcinas iſtas humeris ſuis imponere debet, uerum illas potius abijcere: quandoquidem iſtiuſmodi rebus iter illud quo ad ſummum bonum

peruenitur

peruenitur impeditius redditur: & qui hæc aſſumit, uehementer prægrauatur. Cogitare certè quiſque debet magnũ ſibi inſtare negocium. Mors à tergo ſequitur, uita fugit, effluitq́;, & elabitur: Præterea obſidemur ab hoſte; proinde taliter impeditis omnia hinc illinc formidabilia ſunt. Quocirca ſi ſapimus, ea omnia quæ nobis impedimento futura ſunt, poſtergamus ac negligamus. Timidiorem militem ſarcinæ chariores faciunt: hunc omnes terrent auræ: ſonus excitat omnis ſuſpenſum et pariter comitiq́; oneriq́; timentem. Fortiter hæc reijciamus, totoq́; impetu ad ſalutem nitamur. Exhortemur nosipſos aduerſus difficilia, & æquanimitatem nobis aduerſus ineuitabilia imperemus, magnis quoque conatibus nos ſemper aptemus, atque ad omnia quæ expeditiores nos reddere poſſunt animum formemus. Tunc autem animum noſtrum benè compoſitum agnoſcemus, quum nulla nobis ſuſpiria mortis cogitatio extorquebit: nullus clamor nos teritabit: neque ullus fragor pauidos aut pallentes exanguesúe reddet: denique quum nullus humanorum caſuum turbo attonitos in ſtuporem adducet. ALMAR. Expecto ut prioribus

expeditis partibus, ad ea quæ ægras mentes abſterrendo mortalibus negocium faceſſere ſolent, ſermonem ipſe conuertas. Atqui hac de cauſa operoſius eſſe uidetur ijs caſibus mederi quòd terror hominibus conſilium eripit: nec qui eo correpti ſunt facilè difficultates euincunt. THAVT. *Hic ipſe terror falſis opinionibus detractis, uerisq́; perſuaſionibus animo inſertis, facilè quicquid habet ueritatis deponet, protinusq́; manſueſcet.* ALMAR. *Quonam modo portentum illud humanæ trepidationis manſueſcere poterit, quod ex fatalis ac decretorij temporis incertitudine ſuſpenſa mortalium corda in continuo morte detinet?* THAVT. *Vera eſt ſententia, quòd neſcit homo tempus ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, et aues laqueo comprehunduntur, ſic homines in tempore malo, cum illis extemplo ſuperuenerit. Omnis quidem dies, ut eſt apud Senecam, & omnis hora oſtendit qnod nihil ſumus, et aliquo recenti argumento admonet fragilitatis oblitos, cum nos reſpicere cogit ad mortem: omnia quippè etiam ſanis & fœlicibus dubia ſunt: & cum mortis ſigna plurima ſint, ſecuritatis nulla ſunt. Vnde luculenter Iacobus dignißimus*

niſsimus Apoſtolus ſcribit. Ecce nunc qui dicitis: hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, et faciemus quidem ibi annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino. Sed iam de hac re ſatis amplè, ni fallor, dictum eſt, ubi de longioris uitæ fiducia diſſeruerimus. ALMAR. *Qua ratione Optimus ille Maximus pedicas iſtas ac captioſa iſta retia mortalibus præſtituit, cum tam adeò difficile ſit improuiſa pericula deuitare ac præcauere?* THAVT. *Idcirco diem & horam mortis in incerto ſtatuit Deus, ne dilata ſemper in ſerum tempus pœnitentia diu malè uerſarentur, & perditè uiuerent: utq; conuerſionem ſuam differre uolentes, ea incertitudine terrerentur. Itaque ſi ſalutis noſtræ rationem habere uoluerimus, neceſſe eſt cogitemus quemlibet diem nobis eſſe poſſe ultimum, ac propterea ad purganda peccata, Deiq; gratiam promerendam, omni poſt poſita mora, anhelemus: nec de craſtino cogitemus: illud ue nobis promittamus. Neque uerò ut ait Chryſoſtomus, hoc tempus nobis Deus occultauit, ut nos incautos interciperet: ſed quia ſic expediebat, ſcilicet ne ſperando peccata augeremus.*

 Nam

Nam ſi ignorantes horam & diem non curamus, de ſalute quid, quæſo, faceremus, ſi nos aliquanto tempore uicturos eſſe ſciremus? Latet, ait Aureli-*us, hic dies, ut obſeruentur omnes dies.* Audienda *igitur illa* Domini *uerba.* Operamini *dum dies eſt.* Nec *hoc quidem regibus minus quàm priuatis dictum eſt.* Diuina *ſcriptura pronunciante* Rex *hodie, & cras morietur.* Ergo *ut* Apoſtolus *monet, dum tempus habemus, operemur bonũ.* Vnde Gregorius. *Ideo incertus eſt dies, ut tantò ſit quiſq; attentior & feruentior in operatione, quantò incertior de uocatione, & ut ſemper ad mortem parati debeamus eſſe.* Vox *enim* Domini *eſt.* Eſtote *parati quia qua hora non putatis* Filius *hominis ueniet.* Et *iterum in eadem ſententiam* Auguſtinus. Remedia, *inquit, conuerſionis ad* Deum *nullis cunctationibus differenda ſunt: ne tempus emendationis mora & tarditate pereat: qui enim pœnitenti promiſit indulgentiam, diſſimulanti diem craſtinum non ſpopondit.* Atqui *etiam difficilior ſemper eſt dilata conuerſio: qui uerò citò conuertuntur ſecurè uiuunt: mens autem ſecura quaſi iuge conuiuiũ.* Rex *quidem ille* Iudaici *populi* Ezechias *tametſi à*

Deo

Deo uitæ prorogationem petierit, temporis tamen modum ac certitudinem nequaquàm ſibi præſcribi poſtulauit: ſed hoc Dei *arbitrio et uoluntati decernendum reliquit. Cæterum quanquàm plerique minimè aſſentiantur, mihi tamen non improbandum uidetur, ſi quis fortè non differendæ conuerſionis intentione, ſed quò aduerſus repentinorũ caſuum pericula cautior eſſe, uel in proprijs ac etiam alienis rebus ordinandis conſultius proſpicere, oportuniusq; conſulere ualeat fuſis ad* Deum *precibus obtinere contendat, ut obitus ſui dies ac terminus ſpecialis prærogatiuæ indulto ſibi reueletur. Sic enim* Regium Prophetam *precatum legimus.* Notum *fac mihi* Domine *finem meum, & numerum dierum meorum, ut ſciam quid deſit mihi. Et rurſum. Paucitatem, inquit, dierum meorum nuncia mihi. Sed tamen ij quibus non contigerit, ut gratiam hanc aſſequantur, altera hac uia ſibi probè conſulere poterunt, ſi cordis ſui tabulis perpetuò inſcriptũ geſſerint, moriendum eſt, ſiq; illi certo ſemper animo aduerſus incerta fuerint. Quicquid autem agant alij, tu memor eſto tui. Rectè* C*hryſoſtomus. Si quis, ait: commodatò bouem*

uel equum ad modicum tempus acceperit, hic apud ſe quotidie meditatur ac dicit, hodie uel cras repetetur à me hoc animal; proinde quandiu apud me eſt, oportet me diligenter colere & laborare. Nec *minus ſcitè* Poëta *quidam egregius: Sera, inquit, nimis uita eſt craſtina, uiue hodie: hac quoq; in re perquàm ſalubre eſt* Senecæ *conſiliũ. Vis, inquit, non timere mortis incertitudinem, tanquam migraturus habita, & ſingulos dies ſingulas uitas puta.* Q*ui quotidie uitæ ſuæ ſummam manum imponit, prolixiore non indiget tempore: & qui hoc modo ſeſe aptabit, ſecurus & intrepidus erit. Ad quæ pius quidam ſcriptor. Ego (ait) ſic ſemper & ubiq; uixi, ut præſentem quancunq; lucem tanquam ultimam conſummarem. Et alter.* Ne *ſis ſecurus hodie uel cras moriturus, intus ſiue foris eſt plurima cauſa timoris:* Cun*ctis ſis horis hominis memor interioris.* Hinc Auguſtinus: Poteſt *quis, inquit, augere peccata qui ueniam ſperauerit, dicens faciam quod uolo:* Deus *bonus eſt, quando me conuertero ignoſcet mihi: hoc certò dicere te patiar, ſi dicere poßis, craſtinus dies mihi certus eſt.* Ergo *quoniã certus non eſt, ne tardes conuerti ad* Dominũ: *neq;*

differas

differas de die in diem. Profectò ex quo homo uiuere cœpit, & mori poſſe cœpit: etiam dum creſcimus, uita noſtra decreſcit. Quapropter incertus dies tanquam quotidianus expectandus eſt: ſi autē tanquam quotidianus incertus eſt, componamus cum aduerſario quandiu ſumus in uia. Aßiduè igitur de noſtra mortalitate cogitemus: quod qui non faciet, ſemper erit ad migrandum imparatus. Hæc ille. *Certè mors ubiq; præſto eſt: nec quicquā tam eſt puſillum, quod non ſatis ſit ad hominis mortē: caſus autem nobis incertus. Ergo hoc quod Apoſtolus ſcribit, Sol non occidat ſuper iracundiam ueſtram: nos ad offenſas omnes transferamus, atque ipſum* Dominum *ac ſaluatorem audiamus proclamantem, necnon his uerbis nos admonentem. Vigilate, inquit, quia neſcitis diem neq; horam.* ALMAR. *Multum abundè animo meo fateor ſatisfactum in hac parte, quæ circa temporis incertitudinem uerſatur.* Nunc *illud nobis attingendum, quod pleroſq; non mediocriter angit, dum ſcilicet metuunt ne poſt exceſſum ex hac uita om̄ia quæ ipſi magnis laboribus aut profuſißimis fortè impenſis pepererunt, uel erexerunt, repente intereant, aut*

 præter

præter ſpem ad alienos deuoluantur: quæ ſanè res omnibus penè mortalibus perquàm odioſa, atque haud dubiè ingratiſſima eſſe ſolet. Ipſe equidem nonnullos noui uehementer ſollicitos, ne impoſterum familiarum ſuarum claritas intercideret: aut ne ſui nominis fama obſcuraretur. Item et alios qui ingenuè faterentur id ſibi maximæ curæ eſſe, ne uxorem ſuarum pulchritudine alij poſt obitum ſuum fruerentur, aut ne quid præter uotum in rebus ſuis poſt illorũ mortem contingeret. Nec dubium, quin harum rerum metus duram illis uideri faciat mortem: illosq́; non leuiter cõmoueat. THAVT. *O quanta eſt hominum cæcitas, quanta inſania, quanta iudiciorum præpoſteratio, ſi cuncta libeat diligentius perſcrutari? Quis enim ambigat ea omnia non modò uana, uerumetiam obtinendæ fœlicitati plurimùm contraria eſſe: ſiquidem caducarum et terrenarum rerum ſollicitudines, præcipuè quæ poſt mortem ſine charitatis propagine extenduntur, animum hominis carnalibus et infimis iſtis rebus agglutinatum eſſe arguunt, ob idq́; illum non recta in* CHRISTVM *tendere declarant. Porrò æterna affectantibus caducæ iſtæ cogitati-*

ones

ones ſpernendæ ſunt: & nihil aliud quàm quod ad æternam ſpectat ſalutem, et in CHRISTVM *referatur animo uoluendum, aut anxiè curandum eſt: namque inutilia ſunt omnia, quæ ad cœleſtem parandam manſionem non pertinent: quid terrenis innitimur? quid de illis ſollicitii ſumus, cum cœleſtia nobis proponantur? Certè hi qui uanis eiuſmodi rebus anguntur, quiq; mentibus ſuis tales cogitatus inhærere patiuntur, magis terram qua cœlum merentur incolere. O miſeræ ac perditæ mentes quid caducum hunc mundum tantopere curatis? quid pro illo tot tantasq; ſolicitudines induitis? An non ipſi cernitis, quàm fruſtra curritis, fruſtra cogitatis, fruſtra anxietates ſuſcipitis? profectò ſecularium iſtorum affectuum finis uanitas eſt, puluis eſt, fabula eſt, umbra, ſomnus, nebula, uentus. Cur igitur non auditis Paulum inquientem? Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Ea eſt haud dubiè animi uirtus, ut ſi toto affectu deſideria ſua tollat in cœlum, degere ſe obliuiſcatur in terris, atque omnia hæc ueluti ſtercora deſpiciat: tantum abeſt ut quæ poſt mortem ſuam in mundo futura ſint curioſius diſquirat, uel propter illa torqueatur:*

tur: equidem, ut diuo Chryſoſtomo uidetur, anima niſi prius terrena contemnere didicerit, cœleſtia mirari non poterit: quandiu enim nos terrena miramur, cœleſtia ſpernimus. Proinde nemo qui in *terrenis affectum defixerit, aut illis delectatus fuerit, uix unquam cœleſtia poterit intueri.* Et hæc *quidem ſi probè fuerint meditata, iis pro remedio erunt, qui rerum ſuarum interturbationem, aut nominis & famæ ſuæ extinctionem poſt mortem ultra quàm par eſt, uerentur.* Nam *ſuperius de illis colloquuti ſumus, quia ampliandi nominis, & famæ glorieq; illuſtrandæ, uel latius propagandæ ſtudio & affectu illecti longioris uitæ metas expetunt: quanquam utroſq; eadem æquè ratio perſtringit.* ALMAR. *Illorum cauſa qui nominis & famæ ſuæ obſcurationem poſt mortem metuunt; longè mihi diuerſa uidetur ab his, qui ob res cæteras anxiantur, quæ non adeo nobiles animos tangere ſolent.* THAVT. *Hac in re pro uarietate cauſarum, proq; affectuum diuerſitate æquum eſt iudicium quoq; uariare:* Et profectò non *improbabile forſan uideri poteſt illum aliquanto minus offendere, qui gloriæ famæque ſuæ ſtudio flagrat, quàm*

quàm eum qui cæteris terrenis ac nihili pendendis rebus immodicè aut intemperanter afficitur: uerum quid opus eſt in ijs diſtinguendis longius immorari? cum nobis omnino ea fugienda ſint, quæ Deo non placent. Atqui conſtat eos qui humanam affectant gloriam, & de illa hunc in modum ſoliciti ſunt, Deo iniuriari: ipſe certè nõ uult nos hæc, ſed cœleſtia curare. Audiamus, memoriæq́; affigamus id quod magnus ille uerbi Dei prædicator Paulus ait: Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini IESV CHRISTI. *Vana igitur & ſaluti contraria ſunt quæcunq́; non in Dei gratiam, ſed ad humanam gloriam, uel oſtentationem homines cogitant aut moliuntur. Qua in re illi non mediocriter errare uidentur, qui ædificijs aut ſtructuris, necnon operibus etiam ad pietatem inſtitutis conſpicua undiq́; armorum ſuorum inſignia præfigunt: quæ ſanè res meriti depoſitio & benefactorum euacuatio rectiſſimè dici poſſe uidetur. Itaq́; dum illi hoc facto nominis ſui, ac propriæ gloriæ æternitatem uenantur, ſeipſos æterna retributione reddunt indignos, & quaſi perforato uaſe aquam hauriunt. Enimuerò qua ratione præmiarentur*

tur in cœlo ea, quæ ad oſtentationem & gloriam inſtituuntur in terra. Profectò illius eſt præmium reddere, cuius contemplatione opera ipſa fiunt. At qui cum oſtentationi et gloriæ ſtudemus, mentem atq; intentionem à Deo auertimus. Porrò non ad hoc nati ſumus, ut in mundo, aut apud homines glorioſum nobis nomen comparemus: ſed ut noſtro creatori, qui terræ cœliq; Dominus eſt placeamus: omniaq; nobis ideò facienda, & ad hunc finem inſtituenda, eoq; referenda ſunt, ut ipſe cordis noſtri ſynceritate, noſtriſq; actionibus oblectetur. Neque enim ad mundi, ſed ad cœli gloriam parturimur. Proinde à mundo gratiam flagitare non debemus, ſi Deum uelimus habere debitorem. Quid, quæſo, deſideramus homines operum noſtrorum ſpectatores & laudatores, cum Deum et Angelos qui laudent, ſpectent, & extollant habeamus? dicente Domino: Pater tuus qui uidet in abſcondito reddet tibi. Conſideremus quantam Deo iniuriam faciamus, cum ipſo contempto, ſpretiſq; cœleſtibus, quæ ipſe nobis offert, bonis, terrenæ uanitati animum applicemus. Magna profectò calamitas eſt, quòd in terra potius quàm in cœlo coronari

ronari præoptemus, quódq; æterna pro temporalibus perdere non erubeſcamus, et pro humana gratia quæ tempore peritura eſt, diuinam atque hanc æternam amittere uelimus. Quantò ſatius, me hercle, certum firmumq; ſpectaculum in cœlo quærere, quàm nihil profuturam hominum opinionem in terra uenari. His igitur ſedula cogitatione penſatis, eoq; perſpecto quòd per eam quam tantoperè affectamus poſt mortem gloriam, nominisq; claritatem, et uanas eiuſmodi res, quibus mortaliũ mentes anxijs affectibus cruciantur, etiam ſi hæc pro uoto ſuccedant, nihil mortuis proſunt uel conferunt, nihilq; illis hinc accreſcit, ſed quàm multum deciditur et decreſcit. Supereſt, ut qui ſapit Deum *ipſum aßiduè comtempletur, illiq; ſua omnia opera, & res omnes dicet, ea contentus gloria et conſolatione, quam ex illo capturus erit. Atq; idem ipſe cum* Propheta *pronunciet:* Iucundum *ſit ei eloquium meum: ego uerò delectabor in* Domino. *Et rurſum. Quæ eſt expectatio mea? non'ne* Dominus *& ſubſtantia mea apud eum?* Non ergo *in caducis delectemur, ſed in cœlum ſuſpiciamus, neq; terrena quiſpiam cœleſtibus admiſceat: quando-*

quidem

quidem illa hominem deprimunt, & aſcenſum in cœlum prohibent. Cum autem neque in his quidẽ quæ ad neceſſariorum alimentorum rationem pertinent nobis anxia cura uel ſolicitudo de craſtino ſuſcipienda ſit, quantò magis de uaniſsimis nihilq; profuturis poſt obitum noſtrum rebus curam gerere, aut ne quippiam poſt migrationem noſtram aliter quam ipſi affectamus eueniat, magnoperè uereri ſiue metuere prohibemur: præſertim ſi neque pietatis, neque charitatis affectus intercedat: ſed ſola humanarum uanitatum deſideria curam hanc extimulent & accendant. ALMAR. *Ego ſanè miram in ijs ipſis rebus uanitatem perſpicio. Cæterùm gloriam, oſtentationem, iactantiam & famam ſectari, aut affectare quandiu quis uiuit, & quandiu ipſe ex his aliquam capere poteſt uoluptatem, humanæ appetentiæ proprium eſſe duco: at uerò ut iſthæc in illud tempus producantur, quum nullus eſt hominis earum rerum ſenſus: neque ulla hinc à mortuis uoluptas percipitur: hoc proculdubio magnæ ſtultitiæ atque inſaniæ mihi uidetur aſcribendum, neque ſatis aſſequi ualeo quenam ſit eiuſmodi cupiditatis cauſa.* THAVT. *Innata eſt*

hominibus

hominibus quibuſdam ingens uiuendi cupiditas: ſed cum ipſa immortalitas infœlicitatis regno, non in pereuntis ſeculi hoſpitio quærenda ſit, permulti falſis opinionibus circumuenti præpoſtera incedūt uia. Siquidem illi perſuaſum habent hominem depoſito etiam corpore per extantem gloriam, per ſuperſtites liberos & familiam, per clara ædificia, per magnifica ſepulchra, per inſignes ſtatuas, aut extructas magno ſumptu Pyramides, & alia eius generis famoſa opera uiuere in mundo, & quaſi immortalem effici poſſe. Atqui, quemadmodum ſuprà diximus, ualde corruptum eſt hac in re hominum iudicium: quippè ea omnia quæ ad hunc finem inſtituuntur, & uana, & caduca, & marcida ſunt, breuiq; intereunt. Nam & ſi ad aliquod fortè tempus homines quippiam mirentur, proceſſu tamen temporis facilè obliuiſcūtur: quòd ſi illuſtrem fortè mortales contulerint alicui famam, hanc, ut ait Chryſoſtomus, diu tutari non poſſunt: ſed & ſi illa diu manſura uideatur, hoc magnam parit infœlicitatem: quandoquidem uentoſiſſimum hoc lucrum æternorum præmiorum iactura compenſatur. Vt quid ergo pro temporalibus atque inanibus

rebus cœleſtia perdere uolumus? Certè (ut idem Chryſoſtomus teſtatur) ea quæ propter Deum fiunt, Deo dantur ac offeruntur: atq; ab illo omnia boni conſulente benigniter recipiuntur: quæ uerò propter humanam auram captandam ſeruntur, hæc in uentum ſparſa uidentur. ALMAR. *Deterrimum (ut uideo) eſt ob hanc ipſam nominis & famæ necnon gloriæ immortalitatem in morte angi, uel animo diſcruciari. Cæterùm quod nunc uenit in mentem, illi ſine controuerſia mihi extra hominum numerum ponendi, & cum brutis penitus cenſendi uidentur, qui neq; huius, neq; alterius generis immortalitate mouentur, animas cum corporibus morte interire putantes: & quandiu mundana hæc fabula peragitur, uoluptati operam dare ſummũ bonum eſſe exiſtimantes.* THAVT. *Inclytũ certè hoc belluarum genus ſaginæ naſcitur. Itaq; illis pro Deo uenter eſt, cui etiam uni ſacrificant, & uota nuncupant, Sardanapalo Authore canẽtes: Ede, bibe, lude, ſemperq; præſentibus excole delicijs animum: poſt mortem nulla uoluptas. Et quidem ij minimè digni ſunt de quibus ſermo habeatur, aut cum quibus aliquid agatur. Quid enim*

cum illis agas, qui ratione, qui ſenſu, qui iudicio ca rent? profectò nullam illis reddendam rationem cẽ ſemus. Ridiculum enim eſt cum illis ſuſcipere colloquium, qui apertè inſaniunt, et mente capti ſunt. Nulla certè tam barbara gens eſt, quæ Deum non fateatur, uel premia, uel ſupplicia cuiq; poſt mortem pro ratione meritorum iuſto iudicio tribuentem, atq; decernentem. Igitur hæc ipſa animo reuoluentes, necnon proprio immortalitatis argumẽto, quòd ille nos ad imaginem & ſimilitudinem ſuã condiderit, recenſentes humanam præſtantiam ex eo perſpectam habeamus, quòd ipſe terrarum cœliq́; ſator & dominus ait. Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Sed & illa Prophetia uox Chriſtianam quancunq́; mirum in modum lætificare debet mentem. Cùm dederit, inquit, dilectis ſuis ſomnũ, ecce hæreditas domini. Porrò ille qui ſe deum Abraham, Iſaac & Iacob nuncupari uoluit, non mortuorum, ſed uiuentium Deus eſt. Hæc autem fidei robore ſtabilienda atq; firmanda ſunt: quæ quia rerum credendarum anima eſt, haud dubiè quiſquis illa caruerit tanquam uitali ſpiritu deſtitutus neq; in cœlo uiuere, neq; cœleſtis beatitudinis gaudia in

tueri poterit. Ipſa autem cui initimur diuinarum ſcripturarum & Propheticarum uocum fides nequaquam humanæ probationis oſtenſione, ſed interna Spiritusſancti ſuggeſtione pia mortaliũ corda diuinitus irrorante ſubſiſtit: & profectò hic conceptus diuini Spiritus afflati prouenit: quo qui ſe indignos reddunt uera perciti ſtultitia deſipiunt, delirant, inſaniunt. ALMAR. *Susceptæ materiæ ſeries nunc ſuadet, ut quonam unguento ſolandus ſit animus, ne cum qui improbè homines in morte cruciat dolorem, pluſquam par ſit reformidet, diſpiciamus.* THAVT. *Naturæ diſsidium cũ morbo, qui illius uirtutem proſternere nititur dolorem parit, quæ res non poteſt non acerba eſſe ægrotanti. Atqui hoc quod pleriq; opinantur grauiſsimũ in morte dolorem eſſe probabili argumento refellitur: quandoquidem uel nullo, uel minimo grauioris paſsionis ſigno complures animam exhalare conſpiciuntur. Sin uerò aliquid eſt in eo caſu acerbitatis, certè multum eſt in breuitate ſolacij. Qua de re Cicero eloquentiæ Latinæ columen, ita ſcribit. Vbi igitur malum eſt an quoniam ipſe animi diſceſſus à corpore non fit ſine dolore, ut cre*

dam,

dam, ita eſſe quàm eſt id exiguum & falſum eſſe arbitror, & fit plerumq; ſine ſenſu, nonunquam etiam cum uoluptate: totumq; leue eſt qualecunq; eſt, fit enim ad punctum temporis: hæc Tullius. Certè, *quod Seneca teſtatur, nemo poteſt ualde dolere & diu: ſic nos amiciſſima noſtri natura diſpoſuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut breuem faceret. Itaq; hoc uaſti doloris ſolatium eſt, quòd neceſſe eſt, illum ſentire deſinas, ſi nimis ſenſeris. Planè conſtat morte propinqua iam uictam ac ſuperatam eſſe naturam à morbo, ut dolor non ſentiatur: quinetiam moribundi ſe alleuiatos eſſe & melius habere dicunt: ſed ad hæc locum hunc, alia quoq; ex* Philoſophiæ *pixidibus deprompta ſolari poſſunt medicamina.* Inprimis *quidem utile futurum exiſtimo, ſi quis meditetur corporis formoſitatem & incolumitatem, regnum uoluptatis eſſe: hæ uerò res ſi caducæ & incorruptibiles non eſſent, profectò ſumma fœlicitas et beatitudo à mortalibus putaretur, quamobrem diuina prouidentia uarios morbos mortemq; indidit, quò ipſi intelligeremus, faterique & agnoſcere cogeremur incommutabile quiddam nobis ad ueram fœlicitatem eſſe*

requirendum. Præterea & hoc recogitare conducet, optimæ ſpei rem eſſe, quum ante mortem Deus morbum doloremue aut ægritudinem præmittit: ea nanq; ueluti præcurſoria denunciatione ut ſe ad migrandũ homines præparant, admonentur: ne repentino caſu incautos uel imparatos mors intercipiat. Porrò quiſnam ambigit hoc ipſum paternæ benignitatis filiorum ſalutem exoptantis apertißimum argumentum eſſe? Conſtat equidem diuina pietate fieri, ut doloribus ac preſſuris homines excoquantur, quò uaſa electionis malitia euacuentur, cumulatioreq; ſubinde gratia repleantur. Quid uerò ei qui infirmitate laborat utile ſit, melius ſupernus ille Medicus nouit quàm ægrotus. Per humanorum autem caſuum amaritudinem ad meliora anhelare docemur: ne peregrini & uiatores in patriam proficiſcentes ſtabulum pro domo diligamus, et patriæ noſtræ obliuiſcamur. Ad hæc quicquid contra nos ſæuit, ſi uinci poteſt, tolerabile eſt, ſi non poteſt, ſaltem hac una ratione prodeſt, quod accelerata migratione ut citius ad præmium & fœlicitatem ueniamus efficit: ſicq; temporalis mali fine ad æternum bonum perducimur.

Quid

Quid quòd experimentis teſtantibus conſtat optimos nos eſſe dum infirmi ſumus et langore deſtinemur? Enimuerò ut Plinius iunior inquit: Quem infirmum aut auaricia aut libido ſollicitat, nō amoribus ſeruit, non adepti honores, opes negligit & quantulumcunq; ut relicturus ſatis habet tūc Deum colit, tunc hominem eſſe ſe meminit, nemini inuidet, neminem deſpicit, ac ne ſermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur, ſed innoxiam beatamq; impoſterum deſtinat uitam. Vtinam tales eſſe ſani perſeueremus, quales nos futuros profitemur infirmi. Profectò ſi quid in his rebus humanæ coniecturæ perſpicillis aſſequi ac diſcernere poſſumus, illè multò meliore ſpe decedit, qui cū diris cruciatibus, ueluti cum monſtris portentis, ſtrennua propter CHRISTVM *patientia fortiter dimicauit. Hæc igitur tametſi dura uideantur generoſè feramus, certò certius nobis perſuadentes, quòd præſens tribulatio nos à futura pœna liberabit. Quòd ſi duris in rebus, uti decet, Philoſophari nouerimus, tantùm aberit ut morbos in malis adnumeremus, ut etiam ex ijs copioſiſſimam benè merendi materiam nobis offerri atque ſuppeditari*

tari palam & ubique teſtaturi atq; prædicaturi ſimus. Eſt autẽ (ut Diuus Cyprianus ait) Viri Chriſtiani proprium quicquid premat, quicquid urgeat, quicquid minetur, quicquid territet, ſe totum Deo committere: qui id quod nobis expedit apprimè dignoſcit. Certè ſi in illo ſpem fidutiamq; repoſuerimus, nunquam ille nos ſupra uires noſtras tentari patietur, ſed faciet cum tentatione prouentum. Cæterùm in hoc dimicandi genere uirtutem et firmitatem non à proprio noſtro robore, ſed à diuina gratia nos conſequi poſſe exiſtimabimus: quòd ſi quid fortè quenquam acrius mordeat, hic Apoſtolum audiat inquientem: Omnia poſſum in eo qui me confortat. Profectò quiſquis cruciatus cum ſua imbecillitate metietur, uix efficiet, quin ipſe in uia ſuccumbat aut deficiat. Sin uerò quiſpiam uiuaci fide hoc ſolùm quanta ſit CHRISTI uirtus meditatus fuerit, nihil mehercle tam durum, tam graue, tam acerbum erit, quod non manſueſcat, quodq; ille inuicto animo non perferat: tantùm igitur cogitemus, quòd ſiue uiuamus, ſiue moriamur, ſiue ægrotemus, CHRISTI ipſius ſimus. Equidem, ſi Hilario Pictauenſi credimus,

quandoq;

quandoq; tam ardens eſt hominum ſpiritus in Deum, ac tam ſolida fides, ut terrena illorum corpora dolere neſciant: ſed iuxta Pauli *ſententiam, quò magis infirmantur, hoc magis roborantur. Illud quoque compertum eſt, quòd ubi quis ob malè actæ uitæ culpam quantis ipſe dignus ſit ſupplicijs accuratius meditatur, huic non mediocris ad dolores perpetiendos æquanimitas accedit: fitq; etiam ut ipſe ſua ſponte ſe grauiora meritum eſſe fateatur, & ingenua pectoris confeſſione dicat. Iuſtus es* Domine, *& rectum iudicium tuum: non ſecundùm peccata noſtra facis nobis, neq; ſecundùm iniquitates noſtras retribuis nobis. Meritò hæc patior, quia peccaui in te, & de præteritis beneficijs ingratus extiti. Vel, quemadmodum Aurelius Auguſtinus fortè clamabit:* O *Domine hic ure, hic ſeca, ut in æternum parcas. Quis uerò ambigat hos caſus ita excipiendos ac tolerandos eſſe ut pro ijs æterno illi ac benefico parenti humilimas ſemper gratias agere debeamus, quandoquidem Apoſtolicæ uocis teſtimonio: Ille omnem filium quem diligit caſtigat, flagellat, corripit: qui autem parcit uirgæ odit filium ſuum. Atqui hoc quod in præſenti*

momentaneum et leue eſt, tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Addam hoc loco rem unam omnino relatu ac memoratu digniſsimam perpetuóq; menti commendandã. Inclytiſsimus martyr CYPRIANVS eſt Author, quòd quiſqs mala iſta CHRISTI charitate permotus æquo animo tolerarit, hic eo uirtutis ſpecimine martyrij coronã ſibi comparabit. Quid amplius deſideramus? O Archanum ſingulare quo ſine externorum hoſtiũ oppugnatione uictricem palmam tantáq; premia ſibi quiſq; poteſt comparare. Poterit ne in Chriſtianis caſtris tam ignauus quiſpiam miles inueniri, qui eneruata prorſus uirtute, uel æquanimitate reiecta confici ſe potius effœminatè malit, quàm tantis tamq; illuſtribus ſibi propoſitis præmijs uiriliter aſſurgere, præſertim cum malè malum ferendo ipſe non propterea melius ſit habiturus, neq; ob id dolorem uel ægritudinem uſquam ſit eleuaturus. Quantò igitur ſatius conſtanter ferre id quod utcunq; ferendum eſt, ac dicere: Dabit Deus his quoq; finem. Equidem ſuperare dolorem corona dignum eſt, & hæc quidem Deo gratiſsima uictoria:

ria:ſic enim diuina ſcriptura pronunciat. Certamen,inquit,forte dedit illi ut uinceret. Omnis autem diſciplina, ut Paulus *ſcribit, in præſenri quidem non uidetur eſſe gaudij, ſed mœroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Quàm egregium uerò leuandis ſolandiſq́; ægritudinibus medicamen afferunt meditata* CHRISTI *uulnera, & pro ea, quam in nos gerebat immenſa charitate patientiſſimè tolerati agones, etiam ipſæ mulierculæ paſſim conteſtantur.* Huius *certè rei ueritatem illi optimè nouerunt, qui fortiter impreſſa cordibus ſuis* Domini *ſui ſtigmata circunferunt nonnulli proculdubio tanto animi feruore aliquid quod illa gratum ſit efficere deſiderant, ut miruminmodum gaudeant ac lætentur offerri ſibi dura aliqua, in quibus illius contemplatione ipſi poſſint ad ultimum uſq; ſpiritum deſudare.* Præter *hæc autem præſentium amicorum ſolatia ſummopere ægrum reficiunt.* Ipſa *etiam interualla tollerabiliores faciũt morbos.* Nec *dubium quin mortis contemptus nos ad omnem aduerſæ ualetudinis caſum perferendum robuſtiores efficiat:hic enim non ſolùm morborum, ſed totius*

quoq;

quoq; uitæ remedium eſt. Proinde ſi Senecæ credimus, tolerabilior omnis dolor efficietur, ſi id quod extremum minatur contempſerimus, mortẽ ſcilicet. Hoc *quoque inter præcipua remedia iure adnumerabitur, ut animus à doloris nec non ægritudinis cogitatione, quo ad fieri poterit, longius abducatur, & ad alia meditanda transferatur: quæ profectò res ad languores omnes ſolandos per ſe efficaciſsima reperitur.* Neque *uerò illud prætereundum eſt, quod ſæpè experti ſumus fore utiliſsimum, ut ſcilicet illorum exempla producantur, uel recenſeantur, qui graues & acerbos dolores æquanimiter fortiterq; tuliſſe exiſtimantur, ea namque commemoratione fit, ut ipſi nobis perſuadeamus, morbum uinci ac ſuperari, uel ſaltem ſuſtineri poſſe, atque etiam, ut Senecæ uerbis utar, in uili grabato uirtuti locum eſſe. Siquidem non tantùm armorum ſtrepitus & acierum formidoloſa ſpecies alacritatem animi & uirtutem produnt: ſed et ipſe lectulus uirum qualis ſit, oſtendit. Ad hæc ſumma cautione uitandum erit, ne timendo & uano terrore mali opinionem augendo ipſi nobis grauiora mala faciamus: multum enim malis ipſis adij-*

citur

citur opinione. Contrà, ſi quis ſibi uehementer perſuadeat leuem eſſe languorem, ſeq; adhortetur ac dicat, nihil eſt, aut certè exiguum eſt, multum detrahet grauitati. Tum quaſi ante uirtutis ipſius oculos poſiti illam intueri debebimus: profectò ea præſente ne gemere quidem parumper audebimus: ſed intimo nos ipſos ſermone cohortabimur, ac quid animi magnitudine dignum ſit meditabimur. Quæ ſanè cogitatio & animum comprimit, et dolorem ipſum neſcio quo leuamine mitiorem efficit. Poſtremò quantum in eiuſmodi rebus conducat animi obduratio uel obſtinatio contra malum ipſa teſtis eſt magiſtra rerum experientia, quicquid enim obdurata mente conſtantiq; animo patimur, leuius nobis facimus: ut enim adnixu corporũ et contentione neruorum quæuis pondera facilius feruntur, remiſſione uerò opprimunt ac importabilia uidentur: ſic animorum contentiones preſſurarum omnium eleuant grauitatem. Nec hoc incredibile uideri debet ijs qui uirtutem ſibi colendã proponunt, cum etiã id apud illos ualeat, qui uoluptates ſectãtur: uirili igitur animo ac forti pectore cõtra morborum uim et aſperitatem aſſurgamus. Enimuerò

Quicquid

Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Præſtat certè ægro corpore animum ob uictoriam exultare, quàm incolumi corpori cruciatum ac triſtitiam in animo gerere. Inter nos quidem et ethnicos, quemadmodum Cyprianus *refert, hoc intereſt, quòd illi in aduerſis queruntur & obmurmurant: At nos non modò aduerſa non auocant à uirtute, ſed etiam roborant ad uirtutem: certè, ut idem ait: ad proximitatem muneris melius pœnis patrocinantibus peruenitur: ijs tentationibus probat ſuos* Dominus, *& his ſeculi malis excutit: qua in re gratulandum nobis eſt, atq; lætandum, quod ipſe nos perennibus non reſeruet exitus, ſed ab omni contagione purgatos ſuſcipere, & regni ſui cohæredes efficere proponat.* Hæc Cyprianus. *Excitemus igitur uirtutem ſi forte dormit uel ſoporata eſt, & hanc ipſam animi obfirmatione, inuictam eſſe oſtendamus, atque ne quid molliter, ne quid ignauè, ne quid eneruatè faciamus, nobis cōſtantiſſimè imperemus. Equidem, ſi bonorum ac malorū fines accuratius meditemur, nec uita morbis agitate nobis tædio erit, nec mors ipſa terrori.*

ALMAR.

ALMAR. Tuis iſtis me Thautane uerbis animus meus qui iampridem hac in parte atris nubibus obductus erat, lucidam ſerenitatem eſt conſecutus. Nunc, ut eum qui ex dæmonum perhorreſcentia proficiſcitur ſcrupulum ex hoc pectore demas, te etiam atq; etiam oro. THAVT. Quid alij de hac re ſentiãt uel opinẽtur, neq; planè ſcio, neq; admodum ſcire deſidero. Atqui probabilius mihi uidetur minimè Deo gratũ eſſe, ſi milites ſui, quos in primis ſolidos atq; conſtantes eſſe decet, improborum ſpirituum laruis aut uanis illorum minis terreãtur. Enimuero Chriſtiano cuiq; uiro perſuaſum eſſe debet, immundos ipſos ſpiritus nedum in homines, ſed ne in ſues quidẽ aut uiliſsima quæuis animalia, ſine diuina permiſsione ullã nocendi poteſtatem ſibi poſſe uendicare. At uerò quis credat ipſum benigniſsimum parentem noſtrum quippiam quod in perniciem noſtram uergat, illis uſquã eſſe permiſſurum? quandoquidem nos illius ſumus, uniq; illi uiuimus & morimur: & ſi perimus, illi perimus: proinde certò certius eſt maiorem illi de noſtra ſalute, quàm nobiſmetipſis curam eſſe. Si uerò pro nobis Deus eſt, quis contra nos? Stat igitur ſententia

tentia longè nobis utilius eſſe cum infernalibus i-ſtis portentis inimicitias exercere, quàm pacem fœdusq; iniri. Atq; is profectò mihi ualde imbecil-lis uidetur, & omnino extra Chriſtianæ militiæ ordinem ponendus, qui CHRISTI Regis ac Domini ſui fiducia opéque mille myriadas dæmo-num loco pellere ſe poſſe diffidat. Quò autẽ quiſ-que hac in re fidentior atq; animoſior fuerit, hoc magis ſuperno præſidio fulcietur, auctiorq; uiri-bus efficietur: proinde quid aliud reſtat, quàm ut cum Propheta dicamus. In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis? Abſit ut ob hanc cauſam ig-nominia notari ualeamus, quod eos timuiſſe dica-mur, quos ſolo noſtri ſaluatoris ſigno pelli fugari-ue poſſe non dubitamus: ſint lupi, ſint urſi, ſint le-ones, ſint aſpides, uel ſerpentes, ſint dracones, ſint monſtra quantumuis horrida ſpecie: non moueor talibus, ubi memini, cuius ſim, et cui milito. Namq; ſemper hoc mihi in ore canticum uerſatur, Domi-nus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Si am-bulauero in medio umbræ mortis, non timebo ma-la, quoniam tu mecum es. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat ad-

uerſum

uerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Non er-*go nobis dæmones formidandi, ſed* Deus *ipſe ſemper timendus atque colendus eſt. Sapiens quippè animus unum ſolum timere, unum diligere, & in unum ſperare didicit:* Proinde *ad nullum hoſtiū impetum flectitur, ad nullum illorum blandimentum incuruatur.* Equidem *ſi certam firmamq; in ſeruatore noſtro fiduciam repoſuerimus, minimè uinci poterimus: non enim ipſi uinceremur, ſed ipſe qui inuictus eſt* CHRISTVS Dominus *noſter uictus ac ſuperatus uideretur: ipſius quippè membra ſumus.* Quòd *ſi quis ea ratione dæmones à morientibus timendos eſſe contendat, quòd illi uarijs productis accuſationibus animas corpore exutas ſibi adiudicari enixiſsimè ſatagant: hic profectò conſiderare debebit accuſatores quidem illos eſſe, iudices uerò minimè.* Porrò *hoc unum maximè uidetur eſſe memorandum ſimile ueri eſſe* Deum *ipſum, quo* Chriſtiani *cuiuſq; uiri fides certiore experimento deprehendatur, migrationis tempore quandoq; ſuam ita ſubtrahere præſentiam, ut quaſi derelictum ſe quiſque exiſtimare poßit, tuncque uerſutos hoſtes prodire, & quod ipſi ſoli ſint qui*

homini opitulari ualeant ſuadere conari, tum etiam ad deſerendam fidem & CHRISTI nomen abiurandum falſis ſuggeſtionibus uarijsq́; technis impellere & hortari. Quamobrem monitū quemq; eſſe oportet, cauendum ſibi eſſe, ne eius generis machinamentis capiatur. Equidem ſæpè nutrix, ut quid puer facturus ſit experiatur, ſeſe occultat & abſcondit, non tamen infantem deſerit, aut ab eo remotius elongatur. Illud profectò de Ezechia Rege diuina ſcriptura teſtatur quod dereliquerit eum Deus ut tentaretur. Sed ad huiuſce rei inſtructionem illud pertinere arbitror, quod CHRISTVS ipſe ſuo exemplo nos erudire cupiens dum in cruce penderet ac morti proximus eſſet, non alia de cauſa ſe deſertum eſſe conqueſtus eſt, quàm ut ipſi eo facto inſtrueremur, ne ſi quando in morte deſerti à Deo eſſe uideremur, minimè deficeremus uel turbaremur. Magnus uerò ille Antonius Aegyptius mihi patronus cum grauiter aliquando à dæmonibus afflictus diceret, ubi eras IESV bone? ubi eras? quare non affuiſti ut ſanares uulnera mea? protinus audiuit. Aderam quidem Antoni, aderam: ſed expectâbam ut uiderem certamen tuū.

Sanè,

Sanè, ut Auguſtino uidetur, non eadem omnibus in morte contingunt: quandoquidem Deus *ut medicus peritiſsimus pro uarijs morbis uaria quoque exhibet remedia: proinde nõnulli in morte, quemadmodum & Stephanus, cœlos apertos, &* IESVM *ſtantem à dextris* Dei *intuentur: ſed & ſi ille non uideatur, adeſt tamen, nec ſuos deſerit uſquam: quòd ſi in minoribus rebus ipſe ſe nobiſcum ſemper futurum ac curam noſtri geſturum ſpopondit, quis diffidat illum multò magis in mortis negotio nobis affuturum?* Pulchrè Leo *noſter:* Equidem *inquit, ſi id quod* Deus *uult ipſi uoluerimus, & fiduciam in eo repoſuerimus, iam ipſe omnia bella pro nobis conficiet: & qui dedit uelle, donabit & poſſe.* Quicquid *igitur* Sathan *ille ueterator contra nos moliatur, nihil eſt quod timere debeamus.* Imitandi *itaq; nobis ſunt tres illi pueri, qui magno quondam* Babyloniorum *Regi hunc in modum reſpondiſſe feruntur.* Non *opus eſt nobis reſpondere tibi, o* Rex, *eſt enim* Deus, *cui ſeruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis: et hoc ſcito, quia* Deus *tuos non colimus, nec ſtatuam, quam erexiſti, adoramus.* Neq; *uerò.*

reticendum eſt id quod de ipſo humani generis hoſte Dominus ad Iob dixiſſe legitur. Ecce, ait: ſpes eius fruſtrabitur eum, & uidentibus cunctis ipſe præcipitabitur. Inſuper ambigendum non eſt fideles quoſq; per Eccleſiam, cuius ipſi membra ſunt, roborari: Eccleſia uerò corpus CHRISTI *eſt. Deinde morientem adiuuant ſanctorum ſuffragia, atq; ipſorum Angelorum efficaciſsima præſidia: quibus ex rebus fit, ut non modò hoſtes non timere, ſed etiam omnia illorum territamenta fortiter ac conſtanter ſpernere debeamus.* ALMAR. *In quocumq;, uti acepi, contra hoſce hoſtes bello ſolida opus eſt fide: Illius namq; robore uictoria paratur, bellumq; conficitur.* THAVT. *Hæc proculdubio armatura pluſquam chalybea eſt: nec ulla alia in omni ſpiritali depugnatione magis accom modata reperitur. Proinde inprimis Chriſtiano militi cauendum eſt, ne uel nouitatum ſtudio, uel propriæ temeritatis impulſu, uel fucata nonnunquàm ueritatis ſimilitudine illectus ſuam hanc armaturam debilitet hæbetioremq; reddat: eo enim fit, ut propriæ ſalutis proditor efficiatur: & tunc cum maximè ſolidum illum eſſe oportet, uariarum*

opinionem fluctibus hinc illinc agitatus miſerrimè pereat, dirumq́; naufragium patiatur. ALMAR. *Quodnam hac in re tutius conſilium fore arbiraris?* THAVT. *Ad deuitandũ in huiuſmodi negotio periculum, tutiſſimum exiſtimo ab Eccleſiaſtici corporis unitate nõ diſiungi, peregrinas opiniones nõ recipere, publico iudicio exploſa dogmata execrari; eos quos* CHRISTVS *audiri mãdauit, audire; publicæ authoritati (quæ ueritas columna eſt) ſemper inniti, ſubtiles diſputatores et multa facundia pollentes homines, ſuſpectos habere, ſimplicitatem colere, ſemperq́ue illam in ſinu fouere.* ALMAR. *Mea ſententia hæc ſeruatu facilia ſunt. Cæterum uariæ quædam cogitationes, quæ, quaſi muſcæ in mente uolitant, ſæpè mihi moleſtũ negocium ingerunt, atque interdum animi mei ſerenitatem obnubilant, fideiq́; limpiditatem perturbant.* THAVT. *Hic mihi iampridem notiſſimus eſt morbus, cuius haud dubiè promotor eſt peſtilens ille coluber, qui uitæ noſtræ quotidie inſidiatur.* ALMAR. *Quibuſnam pharmacis uel antidotis cenſes erratico huic malo occurrendum?* THAVT. *ſoliditatis propoſitum obduratio ani-*

mo ſemel pectori adfigendum eſſe opinor, idq; adeò ualidiſſimis clauis, ut reuelli non poſſit: quòd ſi fortè infirmius uel fragilius quicquam aliquando ſentiatur, proderit Apoſtolici gregis proceres imitari, inquientes. Adauge in nobis fidem Domine: uel cum illo clamare qui ait: Adiuua Domine incredulitatẽ meam. Certè aderit Spirituſſanctus: qui, ut teſtis eſt Paulus, noſtram ſemper paratus eſt adiuuare infirmitatem. Porrò in ſacratiſſimis humanæ redemptionis codicibus nonnulla ſunt, quæ peculiari quadam energia animum mihi mirificè ſolent erigere, & labantem interdum fidem roborare. Quoties enim Gabrielem Archangelũ ad Virgunculam illam nobiliſſimam deſtinatum audio, & hiſtoricam illam narrationem percurro, totus præ gaudio ſubſiliens exulto. Hæc enim legens cœleſti quadam Ambroſia perfundor, atq; ipſo in loco aromaticam quandam diuini myſterij redolentiam deprehẽdere ſubolereq; mihi uideor. O quàm excelſum, quam ſublime, & quàm admirabile eſt hoc opus. Miratur certè ratio Deum in homine ſuſcepto Filio, de matre Virgine: attamen nulla ſit quæſtio de tanto numine: fides ſit ratio, uirtus pro

ſemine.

ſemine. Sed interim maximè ſingularis uidetur myſterij illius commemoratio quo Dominici præcurſoris illuſtrata eſt natiuitas, Zacharia illius parente, poſt reſolutos diuino miraculo linguæ nexus, ita Prophetante: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia uiſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum quæ à ſeculo ſunt Prophetarum eius. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendã miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti. Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis. Vt ſi ne timore de manu inimicorum noſtrorũ liberati ſeruiamus illi. In ſanctitate et iuſtitia corã ipſo omnibus diebus noſtris. Et tu puer Propheta altiſſimi uocaberis, præibis ante faciem Domini parare uias eius. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum. Per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus uiſitauit nos oriens ex alto. Illuminare ijs qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in uiam pacis. O ſuper illuſtre carmen,

Deum optimum maximum teſtor, uerba hæc nunquam mihi uideri ſatis pro illorum præſtantia decantari, repeti'ue, aut recitari poſſe. Quid, quæſo, hac Prophætia poteſt eſſe diuinius? Qualis, precor, ac quanta eſt uerborum iſtorum anima, quantum pondus, quanta energia? Hæc proculdubio uel ſola, ſi quis illa probè expendere & meditari uelit, radices omnes infidelitatis ex animo uidentur poſſe extirpare. Abſit igitur, ut pendulam habeamus fidem, aut promiſsis non credamus. Magnus uerò quidam ſplendor de cœlo mihi affulgere, atq; repēte terram omnem illuſtrare uidetur, cum Angelica uoce hæc uerba mortalibus denunciata audio. Ecce Euangelizo uobis gaudium magnum: quia natus eſt hodie uobis Saluator. Et ad hæc ingens animum ſumma cum admiratione ſubit lætitia, dum lego auditam fuiſſe in æthere Angelorum multitudinem diuinam harmonia canentem ac dicentem: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Quid memorem nouæ ſtellæ, & nunquam antea uiſi ſyderis fulgorem, quo indicāte, Orientales illi Reges, Regum omnium maximum natum eſſe intellexerunt: eoq;

luminē

lumine ductore ad Regem ipſum adorandum perrexerunt. Me uerò *etiam plurimum delectat iuſti ac timorati illius ſenis cōſideratio, qui cum redemptionem* Iſraël *expectaret, reſponſumq́; accepiſſet à* Spirituſancto *non uiſurum ſe mortem, niſi prius uideret* CHRISTVM Domini: *ſubinde ubi ſuggerente ſpiritu ueniſſet in templum, mox agnita in puero diuinitate exultans accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit* Deum, *& ait:*Nunc *dimittis ſeruum tuum* Domine, *ſecundùm uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei, ſalutare tuum. Quod paraſti, ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ* Iſraël. *Certè hæc non humanæ alicuius fabulæ præludia ſunt: quis enim tam ſaxeus eſſe poteſt, qui iis auditis, protinus non exclamet ac dicat. Quid eſt hoc? moxq́; diuinam hìc adeſſe manum, ſacrumq́; ac ſanctum quoddam opus hìc geri, & quaſi apertum cœlum ſe præſentire iure iurando teſtetur? Quid de clariſſimo illo ſpectaculo dicam, quo* CHRISTVS *in montis ſupercilio diſcipulis ſuis ea ſe ſpecie demonſtrauit, ut humanorum oculorum acies tantum claritatis iu-*

iubar ferre nequiret: rutilabat enim facies illius inſtar ſolis: ueſtimenta uerò ipſius ſupra niuis candorem alba erant. Illud quoque ualdè memorabile eſt, quod ſaluator ipſe poſteaquam à mortuis ſurrexiſſet, & per dies quadraginta ſæpiſsimè diſcipulis ſuis ſe uiſendum, ac etiam palpandum præbuiſſet, uidentibus illis in cœlum eleuatus eſt: & nubes clara ſuſcepit eum ab oculis eorum. His profectò *atq; alijs humanæ ſalutis myſterijs pia mente recenſitis, cordis penetralia uehementiſsimè dilatantur: & uiuaci quodam ſpiritu fides conſtantiſsimè roboratur.* Atqui *cum fluctuationes illæ incidũt, tunc ea quæ euntibus in* Emaus *diſcipulis iunctus, ac uiatoris ſpecie, ſociatus* CHRISTVS *dixiſſe legitur mecum ipſe repeto.* O *inquit, ſtulti et tardi corde ad credendum in ijs quæ locuti ſunt* Prophetæ*: non'ne ſic oportuit pati* CHRISTVM, *& ita intrare in gloriam ſuam?* Abſit *igitur infidelitas omnis: ceſſet quæcunq; animorum fluctuatio: recedat prorſus tota mentis inconſtantia.*

Procul ô procul eſte prophani.

Contineat ſe ſemper Chriſtiana religio in portu fidei,

fidei, in quo plena eſt ſecuritas, ac tutaſtatio: ne uel opinionū fluctuationibus colliſi, uel inanium diſputationum uento circumacti, aut ineptis fallacium quæſtionum argutijs impliciti infirmemur. CHRISTVM *Hilario teſtante, Prophetarum uolumina conſignant, temporum plenitudo teſtatur, Apoſtolorum & martyrum ſepulcra per uirtutum operationes loquuntur, poteſtas nominis ſui probat, immundi ſpiritus profitentur.* ALMAR. *Duabus ſæpenumero rebus animus meus agitatur. Primùm quidem ob id quòd in ſacris literis fideiq; noſtræ monumentis pleraq; occurrunt, quæ mihi ſcrupulum ingerunt, & nodoſiora uidentur. Deinde quòd interdum ubi de diuinis rebus cogitare aut meditari aggredior, ſæpius in media uia hæreo, frequenter obtuſamente ſubſido, nõnunquàm etiam uariarum ſententiarum diſtractione confundor.* THAVT. *Habet quodq; lignum ſua intermodia: neq; ad medullam ſine duricie, neq; ad nucleum niſi aſpera conquaſſata teſta peruenitur. Itaque quod ad priore loco propoſitam difficultatē attinet, ſi quando forſan in diuinis uoluminibus nonnihil ſcrupuloſum eſſe uideatur, minimè ob id moueri*

moueri debemus: ut enim præcioſius eſſet fidei noſtræ meritũ, ſic uolente Deo, *multa obſcurè, multa inuolutè tradita & ſcripta fuere: proinde nonnunquàm diuini illi ſcriptores, ſancto dictante ſpiritu ita quædam prodiderunt, ut quaſi de induſtria negotium legentibus faceſſerent, nobiſq; anſam quandam ambigendi uel diffidendi ultrò prætendere uelle uiderentur.* Q*uis autem hoc ideo factum eſſe ambigat, quò earum ipſarum difficultatũ nodoſo obiectu lucidius fidei noſtræ conſtantia & firmitas comprobaretur.* Q*uid enim magnum in ſe haberet fidei uirtus, niſi aliquarum difficultatum ſtimulis excitata uellicataq; aſſurgeret.* Hac *etiam ratione hæreticorum controuerſijs* Eccleſia *proficere cenſetur, quòd eiuſmodi procellis agitata* Petri *nauicula, electorum fides & conſtantia magis ac magis ſubinde illuſtratur & clareſcit.* Vnde Paulus: Neceſſe *eſt, inquit, hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt manifeſti fiant. Præclarè diuus* Leo. Nõ *in ſolo, inquit, uirtutum opere, aut in ſola mandatorum obſeruantia, ſed etiam in tramite fidei anguſta & ardua eſt uia, quæ ducit ad uitam: & magni diſcriminis eſt inter dubias opiniones, & ueriſimi-*

les

les falſitates per unam ſanæ doctrinæ ſemitam in offenſis greſsibus ambulare: & cum tot errorum laquei ſe opponant, omne periculum deceptionis euadere: undiq; enim ſtruit dæmon inſidias, ut & noſtram corrumpat uitam, & fidem conſtantiamq; ſubuertat. Videns etenim *dæmon ipſe, ut* Cypri*anus ait: aduentu* CHRISTI *ſibi ereptum imperium, nouam fraudem excogitauit, ut ſub ipſo* Chriſtiani *nominis titulo falleret incautos:* Hæ*reſes itaque adinuenit et ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, ueritatem corrumperet, ſcinderet unitatem.* Hæc Leo & Cyprianus. C*æterùm conſtat etiam ſparſas ob id eſſe uarijs in locis difficultates, ut temerariorum quorundam hominum arrogantia quaſi præcluſo acceſſu, & obducto peſſulo reprimeretur: utq; illi ad ſacroſanctarum rerum cognitionem & intelligentiam humili ſpiritu, depoſitaq; præſumptione accedendum eſſe docerentur, atq; admonerentur.* Nec *illud quoque dubium, quòd difficultatum iſtarum nodoſitas adauctis ſudoribus ac laboribus necnon frequentioribus lucubrationibus plurimorum nobis meritorum præbet occaſionem.* Neq; *uerò quemquam eſſe opinor,*

pinor, qui non planè intelligat pleraq;, quæ in ſacris literis difficilia uel obſcura inueniuntur minimè inopinato aut inaduertenter ſanctiſsimis illis ſcriptoribus excidiſſe : quandoquidem hæc ipſa ſpinoſitas eo ſe oſtentat modo ut ambigi nequeat Dei uoluntate hoc factum eſſe quaſi in plana uia lapides ex propoſito coniecti fuerint, quò prudentius ac cautius quiſque gradiatur. Qua in re mihi in primis relatu dignũ uidetur id quod diuus Chryſoſtomus ſcribit. Ratio inquit, obſcuritatis ſcripturarum multiplex quidem eſt : tamen duæ præcipuæ uidentur. Prima quidem, quia Deus in Eccleſia ſua uoluit alios eſſe doctores, alios diſcipulos: ſi autem omnes omnia ſcirent, doctores neceſſarij non eſſent: et ideo rerum ordo confuſus eſſet: nam ad eos quidem quos doctores eſſe uoluit, ſic per Eſaiam dicit. Loquimini ſacerdotes in cordibus populi. Ad eos autem quos uoluit diſcendo proficere ſic dicit in cantico. Interroga patrem tuum, & dices tibi: presbyteros tuos, & annunciabunt tibi. Equidem ſicut paterfamilias cellarium aut ueſtiarium ſuum non habet cunctis expoſitum, ſed alios quidem habet in domo qui dant, alios qui recipiunt:

unt:ſic & in domo Dei:Deinde obſcurata eſt notitia ueritatis, ne non tam utilis quam contemptibilis inneniatur: contemptibilis enim eſt ſi ab illis intelligatur, à quibus nec amatur, nec cuſtoditur, neć imquiritur. Omnia autem Deus poſuit in ſudore ac labore: ut in omni re mercedem præparet, ſicut ait Sapiens. Quoniam Deus afflictionem magnam dedit hominibus ut diſtendantur in ea. Hæc ex Chryſoſtomo. Sic itaq; formandus nobis eſt animus, ut inſpiratam diuinitus ſcripturam ueneremur, credamus atq; Deum qui in illa latet, ſemper adoremus: & ſi quid in ea ſit, quod mens noſtra nō planè aſſequatur, uel cuius fortè primo occurſu ipſa offendatur hoc uel cæcitati, uel indignitati noſtræ, quæ lucis gratiam non meretur, ſtatim imputemus: & CHRISTVM, qui clauem ſanæ intelligentiæ habet, continuis ſupplicationibus fatigemus. Credamus, inquit Auguſtinus, & ſi non intelligamus, nec ſecreta capiamus, quoniā qui uniuerſam creaturam fecit & condidit, omnia in numero, pondere & menſura diſponit: ſed inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius. Tantùm collaudemus eum, & non dicamus

quid

fectò ut ſtudioſiores quiq; ex poſteris ſiue amatores ſapientiæ & ſcientiæ exercitium haberé poſſent, in quo ingenij ſui fructũ oſtendere ualerent, his uidelicet, qui dignos ſe et capaces ſapientiæ præpararent: hæc Origenes. Proinde his claret oportere hominem dignum eſſe, & capacem ſapientiæ, ſi altiora uelit cogitare. Deinde etiam à non neceſſariarum rerum indagine temperandum eſſe, quandoquidem ad ſobrietatis regulam ſapiendum eſt: proinde filius Syrac ſcribit: Altiora te ne quæſieris, et fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper: & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Multa equidem tanta obſcuritate Deus uelauit, ut nulla humani ingenij perſpicacitate ualeant penetrari: quod ideo factũ arbitror, ut non plus ſapere quàm oporteat diſceremus: ac mentis noſtræ imbecillitatẽ humiliter agnoſceremus: hocq; ipſo à temeraria diuinorum arcanorum diſquiſitione, uel ſacroſanctarũ rerum prophana tractatione abſtinendum fore doceremur. Neque enim ſenſibus noſtris aditum ad ſe diuinitas patitur. Illa enim humai ſenſus

capacitatē excedit, & intellectus ſuperet. Gloria namq; Dei eſt celare uerbum ut Sapiens inquit. Atque ut inclytus martyr Cyprianus ait: Quicquid audiri uel uideri, aut ſciri poteſt, maieſtati nō conuenit: hebes eſt in hac conſideratione acies omnis noſtrorū ſenſuum: omnia quidem Deum prædicant, nunciant, teſtantur: ſed non indicant, neq; oſtendunt: præſens itaq; Eccleſia cognitionē earum rerum aſſequitur, quæ ad iuſtitiæ cultum, ad uitæ ordinem, ad graduum aſcenſionem, ad conuenientiam morum, ad conuerſationis honeſtatem, et contemplationis gratiam pertinent: hæc aguntur & exercentur in præſenti templo: & per hæc Deum quærimus, nec tamen quæſitum illico inuenimus, guſtamus, delibamus, & odoramus, & propè eſt: & cùm acceſſeris, longius abit: et quemadmodū repentina choruſcatio nō tam illuminat quàm hebetat oculum, ita aliquādo neſcio quo motu tangeris, & tangi te ſentis: eum tamen qui te tangit non intueris: anima noſtra ſponſo illi omnipotenti non complexu, ſed fide coniungitur, & ſpe concipit, donec Chriſtus in ea formetur:

& depoſito huius cadaueris pondere, eiuſdem ſint puritatis caro & ſpiritus: renouata'que natura ſobolem immaculatam parturiat. In multis quidem per coniecturarum et opinionum pelagus circumducti in multis ueritati hærentes, in multis magnitudine rerum oppreßi exclamamus cum Apoſtolo. O' *altitudo dihitiarum ſapientiæ & ſcientiæ* DEI, *quàm incompræhenſibilia ſunt iudicia eius , & inueſtigabiles uiæ illius.* Q*uòd ſi animæ, quæ in hoc noſtro corpore principatur, nec originem ſcimus, nec quantitatem metiri nouimus : nec qualiſ ſit dignoſcere poſſumus, patienter ferre oportet, ſi tam uaſtæ molis operationẽ, tamq; immenſæ uniuerſitatis fabricatorem non intelligamus, quũ in minimis operationum ſuarum particulis noſtram cogamur profiteri cæcitatẽ : harum certè reconditarũ rerũ cognitio in aliud tempus reſeruatur: ſic enim ait* Hieremias: *In nouißimis diebus intelligetis ea.*Hoc *itaq; tãtùm nobis perſuaſum eſſe debet* Dei *nos neq; effugere poſſe dominium,neque penetrare conſilium.Dæmonum profecto inſidiæ ſunt, ut eos qui nobis conſti-*

tuti ſunt fines tranſgredi ſuadeant, et ſic in præcipitium trudant maioris certè cognitio & gloriæ ſpe allectum primum hominem ab his quibus tranquillè fruebatur bonis ſerpens ille deiecit. Mihi *quidem haud inſulſa uidetur illius ſententia qui ait:*Ecce D E V S *excelſus in fortitudine ſua, et nullus ei ſimilis in legiſlatoribus.* Q*uis poterit ſcrutari uias eius? aut quis audet ei dicere: operatus es iniquitatem.* Memento *quòd ignores opus eius, de quo cecinerũt uiri.* Omnes *homines uident eum: unuſquiſque intuetur procul.* Ecce Deus *magnus uincens ſcientiam noſtram.* Nummerus *annorum eius inæſtimabilis.* Q*ui aufert ſtillas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitũ, qui de nubibus fluunt, quæ prætexũt cuncta deſuper.* Si *uoluerit extendere nubes quaſi tentoriũ ſuũ: & fulgurare lumine ſuo deſupèr, cardines quoq; maris operiet.* Per *hæc enim indicat populos, et dat eſcã multis mortalibus.* In *manibus abſcõdit lucẽ: & præcepit ei ut rurſus adueniat.* Annũciat *de ea amico ſuo quod poſſeßio eius ſit, & ad eam poßit aſcendere.* Super *hac expauit cor meum, & emotum eſt*

de

de loco ſuo. Tonabit DEVS in uoce ſua mirabiliter, qui facit magna & inſcrutabilia. Nos certè inuoluimur tenebris digne eum inuenire non poſſumus. Magnus DEVS fortitudine & iudicio, & iuſtitia, & enarrari non poteſt. Ideo timebunt eum uiri, & non audebunt contemplari omnes qui ſibi uidentur eſſe ſapientes. Non ergo euaneſcamus in cogitationibus, neq; animo ad ea quæ altius conteċta ac recondita ſunt inueſtigāda currenti habenas laxemus: neq; ſathanæ limpidam aquam turbare, & fidem noſtram debilitare cupienti conſentiamus, ſed noxijs ac peſtiferis illius ſuggeſtionibus in corda noſtra aſcendere uolentibus fores ſtatim occludamus, ſubdoliq; hoſtis techↄas protinus repellamus. Et ſubodoratis inſidijs mox ueluti furore perciti & excandeſcentes ad arma conclamemus. Fugite ô pueri, latet anguis in herba. Ego certè quoties ſerpentem ipſum ſenſim appropinquantem & humi reptante cauda dolos neċtentem agnoſco, protinus toruo illũ aſpeċtu intuens dico. Vade retro ſatana: Hoc quod Deus tuetur tutũ eſt. Deinde ad Chriſtũ conuerſus prophe-

tica hæc uerba magna cum fiducia uſurpo. In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Quoniam tu es qui extraxiſti me de uentre: ſpes mea ab uberibus matris meæ, in te proiectus ſum ab utero. De uentre matris meæ Deus meus es tu: ne diſceſſeris à me, ne tradas beſtijs animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem. Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac inæternum. Tum etiam mecum ipſe mente reuoluere ſoleo quàm magnum, quàm illuſtre, et quàm præclarum illud fuerit ſpectaculum, quũ à mortuis reſurgens Chriſtus erecto uictoriæ ſigno inferos ſpoliauit, atque hoſce noſtros hoſtes ſua uirtute in fugam uertit. Itaq; præſtantiſſimum illum ductorem ac ſaluatorem noſtrũ manu demonſtrãs magna uoce inquio. *Huic huic ego milito: huic ſeruio, huic deſumpta cruce me adiungo. Ecce Deus ſaluator meus, fiducialiter agam, & nõ timebo. Deus noſter, Deus ſaluos faciendi, & Domini domini exitus mortis.* Quid plura? certè ſub tali ac tanto duce militantibus eiuſmodi hoſtes metuendi non ſunt. Qua in re ualde memorabile

eſt quod de Ambroſio clariſſimo Mediolanenſis Eccleſiæ præſule fideli proditum eſt teſtimonio: hic enim dum animam eſſet exhalaturus, dixiſſe fertur. Mori non timeo, quia bonum Dominum habemus. Quæ certè uerba pluſquam aureis literis Chriſtiano cuiq; pectori perpetuo ſunt inſculpenda. ALMAR. *Ita tuo iſto claſſico animatus ſum, ut ſi uel tota ipſa inferorum acies aduerſum me infeſtis ſignis prodeat in cãpum, ſolo ſeruatoris noſtri ſigno armatus in medias turmas impetum facere non addubitem. Supereſt ut poſtremum illum mentis humanæ ſcrupulum eleuemus, qui ob ancipitem futuri iudicij caſum mortales omnes ualde ſolicitos mœſtosq; & anxios reddit. Siquidem mors ipſa ex hac cui iam aſſueuimus regione & patria nos educit: illa uerò ad quam proficiſcimur, qualis ſit prorſus ignoramus. Atqui naturale eſt ignota horrere. Quis autem incertum futuri iudicij euentum nõ expaueſcat?* THAVT. *Si nos harum in quibus uerſati ſumus rerum conditionem probè nouerimus, mirum certè eſt quod non me-*

liora ſitiamus. Quid enim hac uita & peregrinatione calamitoſius? quid hoc exilio miſerabilius? quid hoc ſeculo tædioſius? deniq; quid uaſto hoc pelago periculoſius? utinã hac in re tam adeo cæci non eſſemus, & rem uti eſt perſpiceremus: profectò mundana terrenaq; omnia ualde paruipenderemus, & ab illis diſiungi, uel illa deſerere non admodum extimeſceremus. Atqui *quòd ad eorum, in quæ migraturi ſumus, locorum cognitionem attinet: ſi* Chriſtiani *ſumus, ſi promiſsis credimus, ſi non pendulam fidem habemus, cœlum ipſum tot luminibus, tot ſtellis, tot ſyderibus choruſcans ſpectemus: an non multo præſtantius eſt illic manere, quàm terram incolere: & in perpetua gloria degere, quàm inter haſce miſerias quotidie ingemiſcere, ſudare, fatigari, angi, contabeſcere? Illa quidem, ad quæ tendimus, quanta & qualia ſint exactè ſcire non poſſumus: quandoquidem hæc ipſa humanam excedunt cognitionem. Neq; enim oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit* Deus *diligentibus ſe. Cæterũ, Apoſtolo indicãte, ſcimus quòd*

terrena

terrena hac habitatiõe diſſoluta, habituri ſumus domum non manu factam, ſed æternam in cœlis. Diuina quoq; reuelatiõe nouimus, quòd Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Et iam nõ erit amplius neq; luctus, neq; clamor, ſed nec ullus dolor: quoniam priora tranſierunt. Prophetico quoque ſermoni credimus, teſtanti quòd iuſti tãquam ſydera fulgentiſsima in cœlo rutilabunt: Et hoc inſuper certiſsima fide compertum habemus, quòd fideles homines per Chriſtum, (ut ipſe Petrus ſcribit) diuinæ conſortes naturæ efficientur. Eodemq; teſte ac ſpiritu ſancto pronunciante, ſcimus quòd credentes exultabimus lætitia inenarrabili & glorificata, reportãtes præmium fidei noſtræ ſalutem animarum noſtrarum: de qua ſalute exquiſierũt & ſcrutati ſunt prophetæ, q de futura in nobis gloria prophetauerũt, ſcrutantes in quod uel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti prænunciãs eas quæ in Chriſto ſunt paſsiones & poſteriores glorias: & prophetæ quidem ipſi ea nobis protulerunt ac miniſtrarunt: Apoſtoli uerò Dei euangelizauerunt ſpiritu ſancto miſſo de

cœlo, in quem angeli deſiderant proſpicere. Quamobrem ingenti ſpe erectus Propheta & & rex ille clariſſimus Dauid, Credo, inquit, *ui-dere bona* Domini *in terra uiuentium.* Profectò *ut egregius ac diuinus quidam uerbi* Dei *prædi-cator ait :* Si *conſiderauerimus quæ & quanta nobis promittuntur in cœlis, uileſcent animo o-mnia quæ habentur in terris : terrena namque ſubſtantia ſupernæ felicitati comparata pondus eſt, non ſubſidium : terrena uita æternæ uitæ comparata mors eſt potius dicenda, quàm uita. Ipſe enim quotidianus defectus corruptionis qd eſt aliud, quàm quædam prolixitas mortis? quæ autem lingua dicere, uel quis intellectus capere ſufficit illa ſupernæ ciuitatis quanta ſunt gau-dia, angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſtere, præſen-tem* Dei *uultum cernere, incircumſcriptum lu-men uidere, nullo mortis metu affici, incorru-ptionis perpetuæ munere lætari?* Sed *ad hæc au dita inardeſcit animus, iamq; illic cupit aſſiſtere, ubi ſe ſperat ſine fine gaudere.* Quàm *ſcitè a-pud Maronem.*

Per

Per uarios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium, ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt.

ALMARICI. *Quantum exiſtimo nemo niſi magno ſuo malo, grauiſſimaq́; animæ ſuæ iactura de his ambigere, aut hæc in dubium reuocare poteſt. Fidere enim medico debet quiſquis curari, & ſoſpitatem conſequi deſiderat: ſed tamen mirum uideri non debet, ſi humana mens nonnihil ex diuinis illis ac cœleſtibus rebus deguſtare appetat: quum Moſes uir ille rectiſſimus ipſi Deo dicere non erubuerit:* Oſtende mihi gloriam tuam. *Cui penè conſentaneum eſt quod apoſtolus* Philippus *à* CHRISTO *poſtulaſſe legitur, inquiens:* Domine, oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. *Quibus ex rebus apertè dignoſcitur illos, dum adhuc in hac regione uerſarentur, delibationem aliquam cœleſtis illius* Ambroſiæ *appetiſſe, & quaſi quandam ſecuritatis & certitudinis arram requiſiuiſſe.* THAVTANVS. *Præpoſtera eſt tua hæc exiſtimatio: ſiquidem illi non ideo ea quæ prædicta ſunt, expetierunt, quod hinc ipſi ſecu-*

ſecuritatem & certitudinem uellent aucupari: neq; enim illi hæſitabant, aut fluctuanter diuinis ſermonibus credebāt, ſed immenſam rerum claritatem magnitudinemq; ac præſtantiam uiuaciore animo recogitātes, tanto accenſi erant ardore, ut nihil ueriti, deſideriorum & affectuum ſuorum cōceptus proferre atq; exprimere cogerentur. ALMAR. *Sint hæc ut aſſeris, ſupereſt tamen ipſa iudicij incertitudo: neq; enim ſi clariſſima atq; feliciſſima eſt ſuperna illa, quā* Dei *gloria illuſtrat, patria, ob id nobis parta eſt ad illā perueniendi ſecuritas.* THAVT. *Quid tu tibi territamenta fingis ac proponis? degeneres trepidant animi, peioraq; uerſant.* Audi quid Chriſtus Simoni Petro dixerit. *Modicæ fidei quare dubitaſti? Quonam, quæſo te, pacto aſſequemur, quod uult Paulus, ſcilicet ut ſemper gaudentes ſimus, ſi huius certitudinis prætextu in continua animi anxietate uerſemur, uel quaſi ſuſpenſa mente ſemper trepidemus.* ALMAR. *Nonne ſacro proditū eſt oraculo, quòd ſapiens in omnibus metuit?* THAVT. *Profectò, ſed hoc ita accipiendum, ut exiſtimemus ſapientem*

quidem

quidem omnibus in rebus, ne Dei offenſam con trahat, metuere: non autem quòd ipſe omnia timeat, & nulla in re ſibi ipſi conſtet. Certè præ ter diuinam, uti iam ſæpe diximus, offenſam, nihil eſt quod Chriſtianæ militiæ aſcriptus magnopere uereri debeat. ALMAR. *Ego iamiam hoc ſatis perſuaſum habeo: uerum ex ipſa diuinarum offenſarum obligatione metuendi naſcitur occaſio: ſiquidem ubi conſcientia remordet iudiciale cenſurã, neceſſe eſt formidare.* THAVT. *Vera prædicas, ſed tamen ſapientis propriũ eſſe arbitror præcauere ne offendat, potiuſquam trepidare poſt offenſam: & hanc quiſquis ſectatus fuerit uiuendi regulam, magna haud dubiè cum fiducia uiuet ac morietur. Equidẽ tametſi in ipſo uitæ curſu Chriſtiani cuiusq; hominis ingẽs debeat eſſe fiducia: hanc tamen longè maiorem eſſe ac robuſtius aſſurgere decet, ubi expleta peregrinatione è propinquo portus conſpicitur.* ALMAR. *Sed unde, quæſo, tanta nobis parabitur fiducia?* THAVT. *Ab ipſa profectò Dei benignitate, clemẽtia & miſericordia.* ALMAR. *Bonꝰ eſt ſermo: ſed interim quæ certitudo quòd*

miſericordiæ potiuſquam ſeueritatis dictamine iudiciũ proferatur. THAVT. *Audi Cepham illum Apoſtolici collegij uerticem. Satagite, inquit, uocationem & electionem ueſtram certam facere per bona opera.* ALMAR. *Quàm parum eſt hac in re præſidij.* THAVT. *Num tibi Petrus uidetur leuis author, ut illi fides adhiberi non debeat?* ALMAR. *Quantæ fidei & authoritatis ſit Simon ipſe, probè ſcio: neque de dictorum ueritate cõtrouerſiam moueo: ſed idcirco in bonis operibus non multum præſidij eſſe cenſeo, quòd hæc uia laborioſior eſſe uidetur: ac pauciſsimi ſunt qui hoc tramite conſcendant in cœlum: namque omnes, inquit Propheta, declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum: non eſt uſque ad unum. Præterea omnis homo mendax: &, ut Iacobus ſcribit, in multis offendimus omnes. Et, Eſaia teſte, omnes iuſticiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ in cõſpectu Dei. Ad hæc etiam egregium ueritatis tubicinem Paulum audio ſæpius admonentem atque ingeminantem, ne tam imprudentes ſimus, ut in noſtris operibus fiduciam*

tiam reponamus. Quibus ex rebus ſit, ut uia hæc mihi minimè tutior eſſe uideatur. Mitto quòd quum ſacræ ſcripturæ teſtimonio ſepties in die cadat iuſtus: & nos paßim delictis implicemur, omnia penè opera noſtra quæ bona eſſe putantur, aut mortua ſunt, aut ſuperuenientibus offenſis caduca efficiuntur. THAVT. Non leuibus ad lapidem hunc mouendum uteris machinamentis. Quocirca rei huius ueritas altiore indagine nobis eruenda eſt. Planè tametſi fiducia nuſquam ita in operibus ſit reponenda, quòd hæc ſpei noſtræ anchora eſſe cenſeatur: non tamen eouſque illa ſpernenda ſunt, ut ijs uacui eſſe debeamus; quid enim infructuoſi palmites in uite faciunt? Certè Domini ſententia eſt, ut præſcindantur, foraſq; mittantur: Et Ioannes præcurſor ait: Omns arbor quæ nõ facit fructũ excidetur, & in ignem conijcietur. Tum etiam Chriſti ipſius uox eſt. Si uis ad uitã ingredi, ſerua mãdata. Item, operamini dum lucem habetis. Certè non pedibus, ſed moribus boniſq; actibus in cœlum proficiſcẽdum eſt: & hæc ipſa quidẽ opera fidei ſociata eſſe oportet: quia omne quod

non ex fide eſt, peccatum eſt. Porrò *ad operum ipſorum condimentū & illud pertinet, ut mentibus noſtris perpetuò infixum ſit, nos non poſſe aliquid cogitare ex nobis tāquam ex nobis.* Hoc *enim* Apoſtolo *prædicante notiſsimum eſt.* Pro*inde omnium bonorum operum gloria nō nobis, ſed* Deo *ipſi tribuenda eſt, à quo, ut ipſe* Paulus *ait, & uelle pro bona uoluntate perficere accepimus. Cæterum quoniam quicquid mortales operentur ac faciant, hoc nunquam pro cœleſtis illius* Regis *dignitate ſatis excultum, perfectū ac conſummatum eſſe poteſt: iccirco diuinæ benignitatis et gratiæ ſupplemento opus eſt, ut illa accepto ferantur, alioqui per ſe minimè congrua, quæ tantæ celſitudini offerantur.* Rebus *igitur omnibus probè intellectis, quid eſt quòd ipſi nobis præter culpam & peccatū adſcribere uel arrogare debeamus?* Certè *mala noſtra mala ſunt: bona uerò non bona, ſi remota* Dei *gratia & clementia iudicentur.* Rectè *igitur ille qui aiebat,* Si *impius fuero uæ mihi eſt: & ſi iuſtus, non leuabo caput.* Sanè *ſi quid probè agimus, ex* Deo *habemus effectum boni operis, et initium bonæ uoluntatis*

luntatis:ideoq́; bona opera quæ facimus, DEO *uerius quàm nobis aſcribere debemus, ſi merito ria illa eſſe deſideramus.* Et profectò Deus *ipſe ſua in nobis dona præmiat atq; coronat.* Sic *igitur futuri iudicij certitudinem bonis operibus haud dubiè conſtat fore aucupandam:ea quidem ſemper obſeruata regula,ut meritis noſtris nihil debitū eſſe fateamur, ſed in* Deū *omnia referamus.* Quocirca Paulus *monet, ut nuſquā ſimus fidentes in nobis,ſed in* Deo, *qui omnia ſolet boni conſulere, & conatus noſtros, tametſi per ſe nihil mereamur, abundantius præmiare iuſtitiamq́; noſtrā, (quæ certè quaſi pannus menſtruatæ uilis eſt) acceptam habere.* Nec *uerò quenquam ob id ceſſatorem eſſe oportet, quòd quàm plurima bene ſuſcepta opera noſtrorū* Theologorum *ſententia mortua, quædam etiā mortificata eſſe dicantur.* Nulla *ſi quidem tam mortua, aut,ut illorū uerbis utar,mortificata ſunt,ut non aliquem ſemper fructum afferant: neq; adeò læuis quiſquam ſudor eſt, qui non uberrima demum retributione penſetur.* Præterea Chriſtiano *cui'que homini familiare eſſe debet quòd ubi*

ipſe nonnihil boni operis facere deſtinat, contrita prius ſi quid remordet mente, & relata in CHRISTVM *actione id aggrediatur: quæ profectò obſeruatione aſſequetur, ut ad optati fructus rationem & menſuram omnia cumulatiſſimè reſpondeant.* Proinde *tanta nobis propoſita benemerendi occaſione, nunquam deſides, nunquam ocioſi, nunquam tepidi, nunquam per ignauiam muſsitantes eſſe debemus: ſed ne dedecoroſo exitu hinc tanquam inania uaſa uacui abeamus, ingentem quotidie bonorum operum aceruum congerere,* Propheticæ *illius ſententiæ memores, quæ ait,* Beati *mortui qui in* Domino *moriuntur.* Ammodo *enim iam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.* ALMAR. *Satis abundè, ſatisq; luculenter de auſpicāda à bonis operibus iudicij certitudine diſſertum arbitror: cæterum nulla adhuc quies uel trāquillitas animo meo parta eſt: quandoquidem ut ingenuè meam ipſius et ignominiam, & paupertatem fatear, ego, mi* Thautane, *parum admodum hactenus de ijs rebus, déque parando mihi in cœlis habitaculo*

prouidi,

prouidi, uel cogitaui: neque ut bonis operibus locupletarer in animum induxi: quamobrem ſi quid fortè nunc mihi humanitus accideret, omni prorſus ſpe ſalutis, atque etiam diuinæ miſericordiæ fiducia uiderer deſtitutus. THAVT. *Certè nõ facilè inueniuntur in aduerſitate præſidia, quæ prius non fuerint in pace quæſita. Vnde apud Hebræum Philoſophum. Ante obitum tuum operare iuſtitiam: quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum: omne opus electũ iuſtificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo. Profectò bonis operibus locupletes homines cœleſtis aula deſiderat.* ALMAR. *Quid igitur ſpei supereſt, ubi non modò hoc ipſo diuitiarum genere inops & egenus eſt homo, uerumetiam innumeris per totam uitam flagitijs ſordidatus & conſpurcatus reperitur. Et cum ueritatis oraculo proditum ſit, quòd uix iuſtus ſaluabitur, quonam pacto hi qui in malis cõſenuerunt ſuam tuebuntur cauſam? uel qua ratione ille ſperare poterunt iudicantis ſeueritatem ſe euaſuros, atque miſericordiã conſequuturos, qui nunquam non perditiſſimè uixerunt?*

Prætereà quemadmodum Chriſti uerbis inſtruimur, ſi ij qui omnia quæ præcepta ſunt adimpleuerunt, nihilominus ſe ſeruos inutiles eſſe dicere ac fateri debent: quid illis faciundum, qui non ſolum Dei *mandatis obaudientes non fuerunt, ſed &* Deum *ipſum pudendis actibus uehementer offendere atque exaſperare non erubuerunt?* THAVT. *Horum certè hominum negocium niſi palpitantibus præcordijs agi non poterit: ſed tamen in hac quoq; cauſæ iniquitate eſt aliquid quod bene ſperare, aut certè animum prorſus non deſpondere, neq; fiduciam omnem abijcere ſuadeat.* ALMAR. *Vnde igitur in tam deſperato, tamq;, uti uidetur, profligato negocio ulla prodibit bene ſperandi occaſio?* THAVT. *Ex ſe quidem prorſus nulla: ex miſerantis uerò* Dei *bonitate, & iam pridẽ contracta nobiſcum per Chriſtum ſeruatorem cõſanguinitate permulta. Tibi ne iam mente excidit* Ambroſianum *illud dictum?* Bonum Dominum *habemus*. O' *mi Almarice,* Scindãtur *corda noſtra, non ueſtimenta.* Bonum bonum bonum Dominum *habemus*. Lætemur, gaudeamus, plauda-

plaudamus, exultemus, iubilemus, quandoquidem optimum habemus Dominum.*Et hunc quidem de noſtra ſalute ſupra quàm quiſquam crediderit ſolicitum. Tanta illi in humanam genus, quod ſibi in peculiares delicias formaſſe creditur, dilectio & charitas: tanta illi gregis ſui à graſſantium luporum incurſibus ſeruandi cura, atque perditas propè animas ab ipſis penè* Cerberi *faucibus eruendas cupido. Inſuper & tam innatum exercendæ clementiæ & miſericordiæ deſiderium.*Ecquis,*quæſo, unquã euaderet,niſi nos* Dei *clementia reparare mallet quàm perdere? Aut ſi iniquitates noſtras ille obſeruare uellet, quis ſuſtinere ualeret? Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor,aut mundum ſe eſſe à peccato: quum ne infans quidem unius diei ſuper terrã ab illo ſit immunis. Certè ſi dixerimus quia peccatũ non habemus, noſmetipſi decipim⁹.* ALMAR.*Haud ſcio* Thauthane *an ob hanc ipſam cauſam multum ſibi homines debeant polliceri, aut de impetranda erratorum uenia magnam fiduciam concipere.*
THAVT. *Habet proculdubio hæc res ſuum*

modum, & ſanæ intelligentiæ auribus non barbaro uel imperito iudicio excipienda eſt. Enimuerò eorum qui ſpe obtinẽdæ ueniæ in ſordibus & peccatis uitam egerint non admodum tutam exiſtimo profectionem, cum ſcriptura pronunciet maledictus qui peccat in ſpe. Inexhauſta *quidem ſemper eſt* Dei *clementia, ſemperq́; ad ignoſcendum parata: uerùm frequentius uſu uenit, ut ij qui obſtinata proteruia ad cor redire,* Deumq́; *bonis aliquibus actibus promereri, uel ſibi conciliare neglexerunt, aut quaſi de induſtria ab eo receſſerunt, ſpeq; futuræ in mortis articulo pœnitentiæ grauius indies peccata adaugere non erubuerunt, ſua tandem expectatione fruſtrentur.* ALMAR. *Quid cauſæ eſt, ut ſerotina pœnitentia non recipiatur?* THAVT. Non *hæc mihi ſententia eſt, quòd dicam aliquã ob id uanam aut inutilem eſſe pœnitentiã, quòd illa ſerotina ſit: hoc enim aſſerere ſtultum ac temerarium uideretur, & eſſet. Atqui hoc unum conſtantius dixerim, eos qui ad pœnitentiam uenire tardarint, per ſe quidem indignos eſſe qui audiantur uel recipiantur. Cæterum ſpem eſſe,*

ut

ut extenſo diuinæ miſericordiæ pallio illi, ſi modò uera illorum ſit pœnitentia, exaudiantur benigneq́; ſuſcipiantur: diuinus etenim ſpiritus eſt qui per Prophetã loquitur inquiens. Quacunq́; hora peccator ingemuerit non recordabor iniquitatum illius. ALMAR. Quid ergo hac in re periculi, aut quanam fit ratione, ut procraſtinãtes, ſua, uti dixiſti, plerumque expectatione fruſtrentur? THAVT. Hoc non ob reiectam illorum pœnitentiam cõtingere cenſendum eſt: ſed ob id potius, quòd differendo & hunc in modum procraſtinando ſæpe repentino mortis caſu, ipſi intercipiuntur, uel iuſtitia exigente merita cæcitate, atque propriæ ſalutis obliuione plectuntur. Itaq; ſubtracto ab eis diuinæ gratiæ lumine, quo ipſi ſe indignos reddiderunt ſalutis oſtium inuenire non poſſunt: quinetiam ſæpe fit, ut dum medelam quærere uidentur: non tam doleant quòd peccarint, quàm quòd morte illos intercipiente ulterius ipſi peccare, magis que ac magis inſordeſcere non poßint. Ex quo planè intelligitur quod ipſi peccata non deſerunt,

ſed uerius à peccatis deſeruntur: ſic itaq; cõſtat tarditatem ac cunctationem exquirendæ ſalutis, uocantisq; & accerſentis Dei neglectũ magni periculi rem eſſe. Veruntamen nunquam deſpondendus eſt animus, neq; de diuina in nos benignitate ullo unquam tempore deſperandum. Prima namque ſalus, ut Auguſtinus inquit, eſt tempeſtiuè declinare peccatũ: Secunda non deſperare de uenia. ALMAR. *Sed qua quæſo fiducia morte propinqua oculos in cœlum attollere, uel importunis Deum precibus fatigare audeat is, qui tot annos illius maieſtatem ac iuſtitiã conuincitur neglexiſſe, ac pro nihilo duxiſſe? Aut quo pacto iudicij ſeueritatẽ euadere ſe poſſe confidet ille, quem innumera delicta redarguunt & accuſant, nulla uerò aut pauciſsima admodùm benefacta commendant?* THAVT. *Huic ego non tam de reddenda ratione quàm de ſeuerioris cenſuræ declinando iudicio cogitandum fore exiſtimo.* ALMAR. *putas'ne quicquam hac in re præſidij poſſe excogitari?* THAVT. *Neſcio quid ſalutaris conſilij mihi reſonare uidentur illa Pauli ad Corinthios ſcribentis*

bentis uerba. Quod ſi, inquit, noſmetipſos diiudicaremus, non utiq; iudicaremur. Quibus congruit quod in eccleſiaſticarum ſententiarum floſculis legitur. Ante iudicium interroga teipſum, & in cōſpectu Dei inuenies propiciationē. Ipſe quoque prædilectus Chriſti Apoſtolus ſic ſcribit. Si confiteamur, inquit, peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus dominus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Ad quod etiam Iob ille Deo acceptiſſimus uerun tamen, ait, Vias meas in conſpectu eius arguam: & ipſe erit ſaluator meus. Profectò apud hunc iudicem qui ſe accuſat excuſatus cenſetur. Audi quid ſuper hac re Aurelius dicat: Non uis, inquit, ut Deus damnet quod in te eſt, hoc tu damna: uis ut ille ignoſcat, agnoſce tu, & dicito. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. Et alter quidā pius pater qui ante Deum ſe proſternit, erigitur: qui ſe erigit, proſternitur: proinde conſtituas teipſum ante faciem Dei iudicantis: aſſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor, uerſetur ante oculos formidoloſum futuri iudicij ſpectaculum: ergo in ſumma iudi-

cet ſe homo, ne iudicetur à Domino. Nec prætereunda quoque hoc loco Cypriani ſententia: Dei, inquit, clementia nec in ultimis pœnitentes excludit, nec ulla hora ſera eſt, quoties compunctio diſtricta occurrit. Nec eos qui uitæ ſuæ quocunq; articulo temporis ueri ſunt iudices iterum iudicari: quia cum iudicis & tortoris uices non parcens peccator aſſumit ſemetipſum perſequens, dum confeſſionem cõfuſione honorat, holocauſti huius incenſio in conſpectu Dei ueniam impetrat. Neque enim bis in idipſum iudicat Deus, ſed omnipotens ipſe iudicat, & damnat. Pœnitentes uerò, quia à ſeipſis ſuſcipit, iudicatos abſoluit. Neque illi iudicio quod humanæ pœnitentiæ ſeueritas contra ſe protulit, aliquid iuſtitia cœleſtis apponit: iudicati ſunt Aegyptij cum in redeuntibus ſuper ſe fluctibus inuoluerentur: iudicati Sodomitæ, cum ſubuerſis eorum urbibus ſulphureis flammis cremarentur: ſed ſi in eiſdem ſubuerſionibus ipſi gemerent pœnitentes, temporali ſupplicio nequaquam æterna pœna ſuccederet: ſed eſſet eis pro remedio ſupplicium; & pro abſolutione tormentum: nec contritos

tritos corde æternũ aggrauaret iudicium. Hæc Cyprianus. *Rectè igitur Seneca*: Ille, *inquit, quem peccaſſe pœnitet penè eſt innocens: planè nulla impunita remanent peccata, quia ab homine pœnitente, aut* Deo *iudicante plectuntur: itaq; pœnitendo ſuum quiſq; intelligitur punire peccatum.* Atqui *quemadmodum ſalutaris eruditionis magiſtri teſtantur, amarulenta ipſa cordis contritio ſpiritale quoddam martyrium eſt.* Audiamus *ad hæc illius qui ſtulta peruicacia à patre receſſerat, diuq; perditiſſimè uixerat de ſeipſo iudicium.* Scio, *inquit, quid faciam: reuertar ad patrem meum, & dicam illi:* Pater *peccaui in cœlum & coram te: iam nõ ſum dignus uocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenarijs tuis.* Qua *equidem de ſe cenſura ille aſſequutus eſt, ut magna cum exultatione à patre ſuſciperetur.* Magnum *quoque & efficax uideri potuiſſet illius de ſe iudicium, qui dixiſſe legitur,* Maior *eſt iniquitatas mea, quàm ut ueniam merear: ſi hæc dicenti ſpes ac fiducia non defuiſſet.* Quanto *ſanè melius* Euangelicus *ille publicanus, qui ſuã ipſius culpã agnoſcens, & ſemet*

prudenter

prudenter iudicans, oculos ſurſum attollere non audebat, ſed tunſo pugnis pectore aiebat. Deus propicius eſto mihi peccatori: quo facto, diuinã promeruit gratiam, atq; in domum ſuam iuſtifica tus rediJt. Igitur ex Sapiẽtis ſentẽtia iuſtus prior eſt ſuiJpſius accuſator. Noſtra quidem memoria cum uir quidam multis rebus in uita præclarè ge ſtis grauiter ægrotare cœpiſſet, deſperata inco lumitate accitus eſt ad eum ſacerdos, cui de mo re peccata confiteretur. Atqui ut primum ſacer dos ipſe locum applicuit, ſalutato ægroto cœpit illuſtria illius geſta magna cum laude cõmemora re & ad aſtra tollere, exiſtimans infirmũ ipſum ea laude ſuarum prædicatione magnam conſola tionem ſuſcepturũ, mortemq́; propterea æquiore animo laturum. At ubi hæc ille audiuit, uehementer indignatus, toruisq́; parochum ipſum in tuens luminibus tanquam noxium aſſentatorem abire, locoq́; excedere iußit. Ac ſubinde aliũ ac cerſiri mandauit: quo cenſore non de benefacto rum à ſe, ſed quod ad obtinendam ueniam longè conducibilius exiſtimabat de erratorũ & offen ſarum recitatione ageretur. Valde profectò memorabilis

morabilis hac in re Aurelij Auguſtini ſententia eſt, dum ait, Nemo *fidelium, quamuis multũ pro fecerit, dicat:* Sufficit *mihi: qui enim hoc dixerit, non pertinget ad ſcopum, ſed in uia hærebit.* V*æ uæ hominũ uitæ, ſi remota* Dei *miſericordia iudicetur ac diſcutiatur.* ALMAR. Hoc *mirificum ac perquã ſalutare mihi uidetur ad declinandam diuini iudicij ſeueritatem conſilium.* C*æterum ſemper admodũ ſuſpecta eſt humanæ conditionis infirmitas ſuapte natura ad lapſum pronior.* Tum *ipſa etiam decretorij temporis incertitudo periculum auget, metumq; cõcitat: ne fortè cum opus fuerit iudicij de ſe, ut decet, faciundi aliaq; quæ in hanc rem neceſſaria ſunt, exequẽdi facultate homo deficiatur, ob idq; pereat, & ab æternæ felicitatis cõtubernio proſcribatur.* Proinde *congerenda undiquaq; ſunt remedia: & quicquid uſquam præſidij excogitari poteſt, laxato ſtylo in medium proferendum.* THAVT. Ego *lubens quæ ſentio in præſentia explicabo, tu per te reliqua, ſi quæ ſint, ſolicita indagatione perſequeris.* Equidem *illud in primis uidetur obſeruandum, ut quoad quiſq; poterit,*

rit, dum adhuc in medio nauigat pelago portum in quem deferri cupit, è longinquo proſpiciat, nec temerè, ſed ex deſtinato temonem dirigat, remigetq́; ac uelificet. Enimuero *qui nulla adhibita cura omni uento circumfertur, neceſſe eſt naufragium faciat, atque in medijs fluctibus ſubmergatur.* Sed hoc *apprimè neceſſarium eſt, ut quiſque ubi ſit, & in quo uerſetur periculo, ſæpe recogitet, ſibiq́; horrendi naufragij caſum ante oculos ſtatuat.* Q*uòd ſi fortè quis uoluptatum illecebris adeo irretitum ſe ſentiat, ut emergere, uel facile ſe extricare nequeat, hic quoad poterit frequentius animæ ſuæ ulcera deſpiciat, pectusq́; ſuum acriter arietet, pulſetq́; : & uerecundos in cœlum tollens oculos ingemiſcat, imoq́; ex pectore ſuſpiria trahat, & ad hæc animam ſuam hiſce uerbis alloquatur.* In *quo lætaberis uel conſolaberis paupercula, niſi in* Deo *& patre tuo dulciſsimo?* Heccine *illi reddis pro tantis in te beneficijs?* Nunquid *non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit & creauit te?* Erubeſce, *leuare faciem tuam ad maieſtatem eius, quoniam iniquitates tuæ creuerunt uſque in cœlum: quo-*

uſq́;

uſque induraberis, dormies: ne in hac auerſione ſuper his omnibus percutias fœdus, & in tabulis cordis conſcribas. Redibo ad patrem me- um: nec ceſſabo quoad mihi ignoſcat. Porrò *nemo propterea ſibi de ſalute deſperandum arbitretur, quòd ipſe cordis ſui duritiam emollire, aut ad ueram pœnitentiam flectere non poſſe cõſpiciat.* Tantum hoc ſibi amplectendum conſilium proponat, ut doleat & ingemiſcat, quod ipſe, uti par eſſet, dolere ac pœnitere non ualeat, ſibiq; hac in re diſpliceat. Bona profectò ſpes eſt id aliquando ſucceſſurum. Certè, uti AVGVSTINO uidetur, quoties ea per quæ in DEVM proficimus, nos oblectant, DEI ipſius inſpiratione hoc fieri credendum eſt: & dum ob id quòd à DEO auerſi ſumus, dolemus, iam per hoc ipſi DEO appropinquamus, cui accedit quod aurei ſermonis artifex Chryſoſtomus ſcribit. Non parum, inquit ille, conſequitur, qui ſe miſerum intelligit & timet. Profectò non inutilis eſt hic metus, modò ingemiſcas, haud dubiè aliquando benefacere incipies. Cæterum ubi nõnullæ diuini

timoris

timoris & amoris ſcintillæ adhuc uiuunt in pe-ctore, facilius uitalis ille calor reparatur. Con-*trà autem hi qui ſyncerǽ uoluntatis, ſalutariſq; propoſiti non modò radices, ſed etiam fibras om nes apud ſe intermori patiūtur, hi profectò mor tifero algore rigentes nō facile reuiuiſcunt: pro-inde ſummopere cauendum eſt, ne diuini caloris ſeminaria penitus in nobis extinguantur.* Itaq; *quanquā conſultius ſit moram omnem amputa-re, præſtat tamen, ſi id fortè non exequamur, ea ſemper intentione quòd proximo quoq; tem-pore reſipiſcemus, pergere, q̄ totius boni propo-ſiti deſtinationem prorſus abijcere.* Hoc quoque *nolim ſilentio præterire.* Non *tam peccantibus q̄ poſt admiſſum ſcelus ad ſe redire nolentibus, infenſum eſſe* Deum: *odit quidem ille dum offen ditur, ſed iraſcitur dum non rogatur offenſus.* Certè *nihil eſt quòd tam* Dei *prouocet indigna-tionem, q̄ ſi peccator erectus ac rigidus non fle-ctatur, nec miſericordiam poſtulet pro delicto: nihilq;* Hieronymo *teſte, magis* Deum *irritat, q̄ erecta ceruix poſt peccata: humanæ quippe im-becillitatis eſt labi & peccare; redire autē ad pa*

trem

trem nolle prorſus degenerãtis ac perdite mentis. Itaq; ubi poſt longos errores & diu procraſtinatam conuerſionem ad DEI *tandem miſericordiam quis recurrit: æquum proculdubio eſt, ut is ſibi ipſi ob id potius indignetur, quod ipſe tandiu conuerſionis fructum diſtulerit, & à* Patre *extorris multo tempore manſerit, quàm quòd ab initio ipſe peccarit. Equidem redire ad* Patrem *noluiſſe, & de poſtulanda ab illo uenia nequicquam curaſſe, longè certius contemptæ iuſtitiæ argumentum eſt, quàm ipſum perpetraſſe peccatum. Ergo quoniam hic ipſe diuinæ iuſtitiæ contemptus & timoris* DEI *poſtergatio naufragio propior eſt uehementer ſcopulum hunc uir quiſque* Chriſtianus *præcauere debet. Itaque ſiue tam infelix quiſquam fuerit ut* Deum *offendat, ſiue adeo miſer, ut diutius in peccatis iaceat, ſemper tamen utcunq; aliquam diuini timoris ſcintillam in cordis ſui fomite reſeruet, & reſipiſcendi animum habeat: atq; uti prædictum eſt, ob id quòd ipſe durior ac tardior ſit ſibi diſpliceat. Equidem ipſe* Dei *timor hominem de miſericordia in morte facit ſe-*

curum: ſic enim Hebræus Philoſophus ait: Timenti Deum benè erit in nouiſsimo, & in die defunctionis ſuæ, benedicetur. Ad quod Pſalmographus Rex. *Quàm magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ* Domine, *quam abſcondiſti timentibus te.* Item Beneplacitum eſt DOMINO *ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* ALMAR. *Iis authoritatibus* Dei *miſericordia ad eos tantùm extendi uidetur, qui timet illum, & in ipſius ſperant clementia.* THAVT. *Ita res habet. Enimuerò qui diuino timore prorſus uacui ſunt,* Deũ *haud dubiè contemnunt, & cum illius miſericordiam et clementiã ſupplices, ut oportet, non requirãt, meritò illam nõ conſequuntur.* Nec *diſsimili quoque ratione illi periclitãtur, qui de ipſius æterni parentis clementia diffidunt.* Sanè *quanq̃ hi ſolum tuto tramite gradiãtur, qui* Deum *timent ac diligũt, quiq́; in* Dei *benignitate fiduciam reponunt: attamen & in cæteros quosq́; diuina maieſtas ſuæ bonitatis & miſericordiæ gratiam prouidiſsima quadã ratione diffundit.* Sæpè *etenim internis admonitionibus ſcœleſtorum & à ſe auerſorum*

uerſorum hominum conſcientiam ſtimulat, atq; identidem externis caſibus mortales ut reſipiſcant ſolicitat, Ego inquit. ſto ad oſtium, & pulſo. Qua ex re intelligere licet non tantam nobis erga nos ineſſe dilectionem, quantam ille in nos gerere comprobatur. Profectò maior illi de noſtræ ſalutis negocio, quàm nobis ipſis cura eſt. Quæ ſanè res per ſe declarat quàm magnam ipſi in illius bonitate et miſericordia ſpem ac fiduciam reponere debeamus. Equidem non ethnicè mihi Socrates ſenſiſſe uidetur dum ait: homines rem Deo acceptiſsimam facere, ſi maxima bona ab eo ſperarint. Ita'que eos ualde DEO placere, qui ab eo fidenter bona precarentur, mala uerò deprecarentur. O quàm ſtultum eſt de DEI beneficentia & clementia deſperare: uel, uti miſerrimi quidam faciunt, in morte animam deſpondere. Certè ne quiſquã ob miſeriam ſuam diffidat, Prophetico ſpiritu de ſaluatore noſtro Iſaias ſcribit. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Ego certè dum adoptionis noſtræ qua in DEI Filios aſſumpti ſumus my-

ſterium recolo, dum promißiones intueor, dum eius qui hæc pollicitus eſt potentiã attendo: denique dum immenſam miſerendi, ac nos de manu inferorum eruendi, quã ipſe habet, uoluntatem mecum ipſe recogito, tantam in me fiduciã concipio, tamq; animoſe meipſum erigo atq; confirmo: ut nulla meritorum penuria, nulla propriæ fragilitatis conſideratio, nulla inſuper eius, quã immeriti poſtulamus, cœleſtis beatitudinis immenſitas à cõceptæ ſpei tenore me deijcere ualeat in Dei *clementia & miſericordia firmiter radicatum.* Tantùm *igitur præcaueamus ne* Dei *placabilitate abutamur, ne ue nimia ueniæ fiducia omnipotentis iuſtitiam contemptui habentes ſperatam ignoſcendi facilitatem in malæ uerſationis occaſionem protrahamus: ille quidem uerißime* Pater *miſericordiarum nuncupatur, ſed et ipſe identidem* Deus *ultionum non abs re uocitatur.* ALMAR. *Ad quid tanta nomenclaturæ uarietas?* THAVT. *Certè, quemadmodum ſuperius oſtendimus, eorum cauſa qui ipſius maieſtatem uerentur, quiq; in eum ſperant, & pro ſua ſalute illi ſupplicant,* Pater *miſericordia*

rum

rum rectiſsimè appellatur. At uerò illorum qui ipſius iuſtitiam et maieſtatem paruipendunt cõditione perſpecta ultionum DEVS *iure dicitur. Tametſi in ulciſcenda quoque hominũ proteruia uindicandis'que criminibus illius miſericordia ſemper eluceſcat. Audi quod per Ieremiam ipſe loquatur. Ego, inquit, ſcio cogitationes quas cogito ſuper uos, cogitationes pacis, & non afflictionis: ut dem uobis finem & patientiam: & inuocabitis me, & uiuetis: & orabitis me, & ego exaudiam uos: quæretis me, & inuenietis. Item in ſacris carminibus: Cùm iratus fueris* Domine *miſericordiæ recordaberis. Et ſubinde dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei.* Cor *autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non diſperdet eos. Et abundauit ut auerteret iram ſuam: & non accendit omnem iram ſuam. Et recordatus eſt quia caro ſunt, ſpiritus uadens, & non rediens. Item in ſapientiæ ſermonibus. Quàm magna eſt miſericordia Dei & propitiatio illius conuertenti-*

bus ad ſe. Nec *enim omnia poſſunt eſſe in hominibus, quoniam non eſt immortalis* Filius *hominis, & in uanitate malitiæ placuerunt*, et *Patiens eſt* DEVS *in illis, & effundit ſuper eos miſericordiam ſuam.* Vidit *præſumptionem cordis eorum quoniam mala eſt, & cognouit ſubuerſionem illorum quia nequam eſt: ideo adimpleuit propitiationem ſuam in illis, & oſtendit illis uiam æquitatis.* Mi*ſeratio hominis, circa proximum ſuum: miſericordia autem* DEI *ſuper omnem carnem: quis autem adijciet enarrare miſericordiam eius?* Certè *ut alter* Pro*pheta inquit:* Suauis Dominus *uniuerſis: ſed multò magis erga domeſticos ſuos dulcis.* Vnde *rectiſſimè ſubijcitur,* Mi*ſericordias* DOMINI *in æternum cantabo.* Q*uanta, quæſo,* Patris *illius eſt benignitas, qui, tametſi proterua mente filius à ſe diuerterit, ſubſtantiamq́; omnem ſuam perditè uiuendo conſumpſerit, reuertentem tamen lætanter excipit, illiq́; etiam ultro obuiam pergit, ac uenientem placidè amplexatur? inſuper & in reditus illius gratiam & congratulationem feſtum diem celebrat?* Audiamus Iere*miam:*

miam: uulgo, inquit, dicitur, Si dimiſerit uir uxorem ſuam & recedens ab eo duxerit uirum alterum, núnquid reuertetur ad eam ultra? nunquid non polluta erit & contaminata mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me dicit DOMINVS, *& ego ſuſcipiam te.* Ad quod Ioël. *Conuertimini ad* DOMINVM DEVM *ueſtrum, quia benignus, & miſericors eſt, patiens et multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* Ipſum quoque erga nos mitem eſſe Euangelicæ literæ pronunciant ac teſtantur. Ipſeque Iſaias illum neque triſtem, neq; turbulentum eſſe prædicat. In quam ſententiam pedibus deſcendit Apoſtolus dum ait: *Non habemus pontificẽ qui non poßit compati infirmitatibus noſtris.* Atqui certũ eſt illum mirificè lætari quoties dæmon qui ſemper uitæ noſtræ inſidiatur ſua ſpe fruſtratur: maior autem eſt fruſtratio in illo quẽ inſidiator arctius tenebat obligatum. Ideóque hic amplior ſub eſt gaudendi materia. Quale uerò uel quantum illud eſt placabilitatis argumentum, quòd ipſe errantem in deſerto ouiculã

requirere minimè dedignatur, quinetiam relicto cætero grege, ad illam ne pereat requirendam proficiſcitur, inuentamq́; placidè reducit: tantumq́; abeſt ut indignatus illam flagris trudat, uel ob erroris culpam acrius pulſet; ut etiã quominus illa itineris labore cõficiatur proprijs impoſitam humeris baiulet, lætus que ad ouile reportet, & quod illam repererit ac recuperarit ſingularem congratulationem ſibi fieri expetat. Quid ultra? Dionyſius Areopagita *martyr, inclytus* Pauli Apoſtoli *auditor, fidedignus admodum teſtis, in quadam, quam ad* Demophilũ *ſcribit epiſtola, refert ſua tempeſtate uiro cuidam ſanctiſsimo diuina reuelatione fuiſſe indicatum tam ardentem* CHRISTI *ſeruatoris erga oues ſuas eſſe dilectionem, atq; illum tanto feruore noſtram exoptare ſalutem, ut non modò pro uniuerſarum, uerùm etiam pro unius tantùm animæ, ſi opus foret, ſalute iterum atque iterum pati, crucifigi, ac mori haudquaquam recuſaret.* O *ſaxea corda: quiſnam hæc audiens præ ingenti gaudio totus in lachrymas non reſoluatur? quis non ſummam inde fiduciam concipiat,*

&

& immēſæ ſpei criſtas protinus erigat?haud du bie diuinæ miſericordiæ centrum, ut quidā ait, ubiq; eſt: amat Deus hominem, ut opifex ſuum opus: ſemperq́; ipſe ſeruare quærit quos tam magno precio redemit: Proinde ille nos odit, ſi non quæramus remedia ne pereamus. Quòd ſi olim ipſe ut à ſe prorſus auerſos redimeret, miſericordia ſuadente, in terram deſcendere uoluit: quantam nūc ab illo ſperare poſſunt homines clementiæ & propitiationis abundantiam, ubi tanta nobis cū eo ipſo neceßitudo & conſanguinitas interceßit? Profectò ſi ille nos nil tale quærentes ad ueniam uocauit: quanto magis ſupplicantibus illam non negabit? Ipſe quidem cœleſtis pater, ut Apoſtolus ſcribit, non poſuit nos in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui mortuus eſt pro nobis. Porrò, ut ſacræ clamant literæ, Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira miſericordias ſuas? quis uero credat fieri poſſe, ut is cui proprium eſt miſereri & parcere, non miſereatur & ignoſcat? Manaſſes rex multis ac grauißimis ſceleribus iram Dei in ſe cōcitarat, quippe qui

pe qui etiam in uiros ſanctos ſuam crudelitatem extenderat, fœdáq; & deteſtanda in ſacratiſſimo templo ſimulacra ſtatuerat, ciuitatem parricidijs crudelibusq́; homicidijs impleuerat, aliáq; tam execrãda facinora perpetrarat, ut nuſquam à Deo ueniam conſequi poſſe uideretur: uerum implorata ſubinde æterni parentis clementia, in gratiam redijt, & admiſſorũ flagitiorum remiſſionem nulla mora obtinuit. Non eſt certè, ut Chryſoſtomus pronunciat, tam tetrũ dirum' ue ſcelus, quod nõ pœnitentia diluatur: nec uſquam à peccatore tam remota eſſe poteſt Dei gratia, quin ſtatim, ut ipſe ad meliora conuerti uoluerit, & miſericordiã poſtularit, protinus exaudiatur. Atqui hæc nequaq̃ oſcitante animo conſtat eſſe facienda: quãdoquidem tepiditas media uia ſubſidit, nec cœlum uſq; pertingere poteſt. Profectò Chananæa illa mulier durum ab initio reſponſum accepit. Minimè bonũ eſt, inquit Chriſtus, tollere panem filiorum, & dare canibus: At quia inſigniter conſtans perſtitit, idcirco quod petierat impetrauit. Ergo, ut eſt apud eundem ipſum Chryſoſtomum, nemo dicat ego ideo non oro,

quia audiri non mereor: nam talis erat illa mulier: uerum nihil ob id deterrita, inuictæ mentis inſtantia & feruore ut exaudiretur euicit. Sed *nec ea quoq; de cauſa quiſquam remedium quærere uereatur, quòd dicat ſe nō auſum irato* Deo *preces porrigere: non enim ille noſtram indignitatem, ſed uoluntatem expendit ac conſiderat.* Itaq; *& ſi inimicus* Dei *fueris, & ſi ea quæ non mereris poſtules, & ſi paternam ſubſtātiam omnem luxurioſe uiuendo conſumpſeris, & multos annos à facie eius abfueris, & ſi degenerem ſemper animum geſſeris, atq; omnium prorſus extremus de reditu cogitaris, incipe tantummodo ſupplex orationem fundere, incipe reuerti & redire, profectò læta hilariq; fronte excipieris: & confeſtim omnem iram pœnamq; reſtingues.* Etenim *quamuis iratus ſit* Deus, *attamen filiorum ille amantiſſimus eſt, teq; tantummodo ad meliora conuerſum, necnon ſibi ſupplicantem & ad ſe redeuntem uidere deſiderat: ne, quod illi uehementer diſplicet, ipſe de te ſumere cogatur ultionem.* Equidem *ſi nos qui pro naturali tantum affectu, proq; humana conditione filios*

diligi-

diligimus, quanquam ab illis iniuria affecti fueri mus, tamen de ultimo illorum ſupplicio dolemus: quid ille æternus parens facturus eſt, qui nos ultra naturam & ſupra omnem affectũ diligit? & per Prophetã *ita loquitur.* Nunquid obliuiſci po *teſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen nõ obliuiſcar tui: hæc* Chryſoſtomus. Certè *ſacris teſtantibus literis non uult* Deus *animas perire, ſed tanquam pius pater retractat, recogitans ne penitus pereat qui abiectus eſt.* Tum *illa quoque uehemẽter nos animare debent* Pauli *uerba.* Cõ *mendat autem, inquit, charitatem ſuam* Deus *in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus* Chriſtus *pro nobis mortuus eſt.* Multo *igitur magis reconciliati ſalui erimus in uita ipſius.* Nequaquã *igitur deſperemus, ſed tot ſalutis occaſionibus ſeſe nobis offerentibus, magna ſpe ipſius beneficẽtiſſimi patris noſtri miſericordiã imploremus.* Qua *de re ſic diuus* Leo *ſcribit.* De *iuſtitia, inquit, ſua nullus confidat: de* Dei *miſericordia nullus diffidat.* Etenim, *ut quidam cecinit, quamuis clementia ſemper ſit meri*

tis in-

tis indebita noſtris, magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei;*unde patientiſſimus* Iob *ait.Scio quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni uiuenti. ueruntamen non ad conſumptionem eorum emittis manum tuam:& ſi corruerint, ipſe ſaluabis.* Quod *haud dubiè fiet,ſi ad illius miſericordiam fidenter cõfugiamus.*Nemo *autem recte fugit à* Deo,*niſi qui ad illum recurrit.*Adea*mus,inquit* Paulus, *cum fiducia ad thronum gratiæ eius;ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*Neq; *uero* Deum *fugere,ſed ad ipſum cõfugere cunctis mortalibus operæpretiũ eſt.*Itaq; *audiendus nobis eſt* Iſaias,*ſublata uoce clamitans.*Confortate *manus diſſolutas; & genua debilia roborate:* Deus *ipſe ueniet & ſaluabit nos.* Et *rurſum in momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te,& in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.* Miſe*ricordia mea non recedet à te,& fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miſerator tuus* Dominus.Et *adhæc.* Præ*buiſti mihi, inquit dominus, laborẽ in iniquitatibus tuis.* Ego *ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas*

propter

propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Equidem, *ut eſt apud* Ambroſium, *non latroni tantum* Chriſtus *dixit*, Hodie *mecum eris in paradiſo, ſed & tibi, ſi ipſum confitearis, ſiq; eius poſcas patrocinium, noli ſceleris tui immanitate terreri, aut animum deſpondere: non iuſtos ille, ſed peccatores uocat: nec impietatem tuam, ſi tu illam deteſteris, repellit, qui etiam pro cruci figentibus ſe, orauit.* Beneplacitũ *eſt illi, ait* Propheta, *in his qui ſperãt in miſericordia eius. Audiamus quid mulieri in adulterio deprehenſæ ſeruator ipſe dixerit.* Nemo, *inquit, te condemnauit: nec ego te coneemnabo: uade, & noli amplius peccare.* Atque *in ſumma illud haud dubie minimè difficile eſt à* Deo *impetrare quod ille magis dare cupit, quàm nos ipſi recipere.* ALMAR. H*æc profectò, mi Thautane, magnum quoddã robur animo meo addiderunt: nec quenquam eſſe reor, qui ijs coram recitatis & auditis non magnã hinc conſolationem ſe concepiſſe palàm fateatur, & quaſi aperto per hæc ſibi cœlo uehementer exultet.* Supereſt *ut perã loculoſq; omnes penitus excutias, quò ſi quid fortè reliqui*

fuerit

fuerit quod cōfirmandis mentibus conducat, te proferēte ac diſſerente promatur: mihi certe de ſalutaribus hiſce rebus audiendi nulla unq̃ erit ſatietas. THAVT. *Valde probandum eſt tuum hoc deſiderium, iucundiſſime* Almarice: Enimuero *quid ſerenando animo accōmodatius uſquam eſſe poteſt, quàm ea gnauiter exploraſſe conſilia, quibus ad æternæ uitæ felicitatē peruenitur? hic certè unus maxime cuiq; homini appetendus ſcopus, & in unam hanc rem totam oculorum acies dirigenda atque conijcienda éſt: planè hæc quæ requiris nuclei inſtar in ſecretis admodum ſanctæ philoſophiæ traditionibus recōdita ſunt: pinde ſi præter illa quæ dicta ſunt, amplius quicquam noſſe cupis, diuinarum literarũ ſacrarium attenta mente luſtrandum eſt. Cæterum ut quicquid fauente nunc memoria ſuccurrit, in medium proferamus (quandoquidem in præſentia id agitur, ut uiam modumq; noſcamus, quibus uel iudicium poſt hanc uitam declinare, uel remoto ſeueritatis ſcrupulo illius qui iudicandi poteſtate fungitur miſericordiã nobis comparare, noſtræq; ſaluti opportunè conſulere ualeamus)*

huic

huic profecto rei illa Chriſti ſententia ſummopere accommodata uidetur. Qui uerbũ, inquit, meum audit, & credit ei qui me miſit, habet uitam æternam: & in iudicium non uenit, ſed tranſiet à morte in uitam. Et rurſum. Sic Deus *dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitũ daret: ut omnis qui credit in eum nõ pereat, ſed habeat uitam æternam.* Ad quod Paulus: *hoc eſt, inquit, uerbum fidei quod prædicamus: quia ſi confitearis in ore tuo* Dominum Ieſum, *& in corde tuo credideris quòd* Deus *illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris.* Corde *enim creditur ad iuſtitiã: ore autem confeßio fit ad ſalutem: dicit enim ſcriptura: omnis qui credit in illũ non confundetur.* Ergo *præcipuum hoc ad ſalutem remedium eſſe intelligitur, ut credamus, & felicitatis noſtræ myſteriũ ſyncera profeßione teſtemur.* Atqui *dum hæc recitãtur, prophetica quædam tuba magno clangore inſonat:* Quicunq; *inuocauerit nomen* Domini, *ſaluus erit.* Certe, *quemadmodũ eccleſiaſtica ſcripta teſtantur,* Nemo *unquam humiliato corde* Dominũ *inuocauit, qui ab illo deſpectus fuerit.* Tu Domine, *inquit* Propheta, *ſuauis es &*

ēs & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te. O' quàm præſentaneum eſt hoc remedium: ſed tamen credere primum oportet: ſiquidem, ut Paulus ait: Quomodo inuocabunt qui non crediderint? Nec dubium quin his ipſis rebus cognata & affinis ſit conſtans ac perpetua ſpes et fiducia in eum qui inuocatur. Qua in re ne quis forſam parum præſidij eſſe opinetur, Hebraica illa ſententia cumprimis eſt adnotanda. Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quoniam nullus ſperauit in Domino, & cōfuſus eſt. Et quod in diuina poëſi legitur: In te Domine ſperaui non confundar inæternū. Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. Itē: Guſtate & uidete quoniā ſuauis eſt Dominus: beat⁹ uir qui ſperat in eo. Et rurſum: Spe rantem autem in Domino miſericordia circundabit. Equidem hi qui in potentiorum tutelam et protectionem confugiunt, ab illis pro uiribus enixiſsimè conſeruantur: proinde nihil mali nobis contingere poſſe credendum eſt, ſi ſummi Regis inuocato nomine eius tutelæ & præſidio nos commiſerimus atq; optimum Iſraëlitici po-

puli Regẽ imitati dixerimus, Eſto mihi in Deum protectorẽ & in domum refugij, ut ſaluũ me facias. In manus tuas domine commendo ſpiritum meũ: redemiſti me Domine Deus ueritatis. Cõminatur quidem Deus ſe nequaquam auditurum eos qui obſtinata prius contumacia illius bonitatem contempſerint, monentemq; ac uocantem aliquando exaudire noluerint: uerùm id in temporalibus potius quàm æternis ſupplicijs procedere nemo, quantum opinior, inficiabitur. Cæterùm & hoc ad illos pertinere cenſendum eſt, qui nõ tam eo animo Deũ inuocant quòd ipſi ad iuſtitiam conuerti uelint, quàm quòd ea tantùm inuocatione ab his quibus tunc præmuntur ærumnis liberari cupiunt. Certè, uti Propheta teſtatur, propè eſt dominus omnibus inuocantibus eum, & quidẽ inuocãtibus in ueritate, et cũ qua decet ſpe atq; fiducia ad ſe reuertentibus. Vnde ſic Iſaias ſcribit: Quis ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei? Speret in nomine Domini & innitatur ſuper DEVM ſuum. Et iterum diuini ſpiritus locutione: Qui habet, inquit, fiduciam mei hæreditabit terram et poſſidebit mon-

tem

tem ſanctum meum. Sanè Hieronymo teſte, non ſolùm in Deo fidere, ſed etiam fiduciam in confidentia habere debemus. Audi Paulum ad Hebræos ſcribentem. Nolite, inquit, amittere confidentiam ueſtram, quæ magnam habet remunerationem. Et alibi, Spe, ait: ſalui facti ſumus. Cui cõſentaneũ eſt quod Ioannes ſcribit: Chariſsimi nũc Filij Dei ſumus: et nondum apparuit q̃d erimus. Scimus quoniã cũ apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniã uidebimus eum ſicuti eſt: & omnis qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe ſicut et ille ſanctus eſt. Rectè igitur monet qui ait: Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. Etenim qui confidunt in Domino ſicut mons Syon, non commouebitur in æternum: Vnde in Eccleſiaſticis ſententijs. Qui timetis Dominũ ſperate in illũ: et in oblectationẽ ueniet uobis miſericordia. Petrus ille Bariona cùm cuperet Domino iubente ſuper aquas ſiccis pedibus ambulare, ubi intumeſcentibus fluctibus trepidare cœpiſſet, mergebatur: atq; ideo clamabat: Domine ſaluum me fac: & continuò Ieſus extenſa manu ap-

prehendit illum, & ait: Modicæ fidei quare dubitaſti? Alibi uerò periclitantibus diſcipulis ac clamantibus: Domine ſalua nos, perimus: ſeruator ipſe ait: Quid timidi eſtis modicæ fidei? His ergo edocti exemplis, quanta ſit fidei & fiduciæ uis, facilè intelligere poſſumus. Illud autem præcipua commemoratione dignum uidetur, huius quidem fiduciæ proprium eſſe, ut qui uerum Deum colunt in CHRISTI *ſui uirtute atque illius immenſa benignitate & pietate palàm & erecta fronte glorientur exultentq;. Sic enim ſymphonides noſter canit. Et gloriabuntur, inquit, in te omnes, qui diligunt nomen tuum. Proinde Abacuck Propheta ſic gloriando aiebat. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo: Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorũ, & ſuper excelſa mea deducet me uictor in pſalmis canentem. Item regius uates. Lætabimur, inquit, in ſaluatori tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur. Inſuper Iſaias canit. Ecce Deus ſaluator meus fiducialiter agam &, non timebo. Ad quæ Paulus: Gloriamur inquit, in* DEO

per

per Dominum noſtrum IESVM *Chriſtum per quem nunc reconciliationem accepimus. Profectò hoc ipſum gloriandi genus fidentis animi eſt argumentum, idq́; cum primis* DEO *acceptiſsimum. Nec dubium quin ea ipſa re mirificus quidam in Chriſtiano pectore feruor accendatur, et hoſtilium machinamentorum commenta quàm maximè debilitentur. Nec prætereà ambigo ea quoque re effici, ut militem de ducis ac ſeruatoris ſui præſtantia hunc in modum gloriantem* DEVS *ipſe magno robore fulciat, benignóque ſemper fauore proſequatur:* His *ſuccedit perquam ſalutaris optimi Deóque acceptiſsimi uiri Thobiæ doctrina, qua ſenex Filium inſtituiſſe legitur. Quomodo, inquit, potueris, eſto miſericors: præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſsitatis: quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras: fiducia magna erit coram ſummo* DEO *eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Et *in eandem ſententiam Angelus ad illum deſtinatus ait:* E*leemoſyna hominem à morte liberat:* Et *ipſa eſt*

quæ purgat peccata, & facit inuenire uitam æternam. Item in ſanctæ philoſophiæ præceptionibus: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis: &* DEVS *proſpector eſt eius, qui reddit gratiam. Meminit inpoſterum, & in tempore caſus ſui ille inueniet firmamentum.* Et iterum: Conclude *eleemoſynam in ſinu pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Ipſe quoque Chriſtus tanti hoc opus æſtimauit, ut diceret, Date *eleemoſynam, & omnia munda ſunt uobis.* At idem: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam cōſequentur.* Certè, ut Leo noſter ſcribit: *Quantò magis fuerimus miſericordes, tantò magis inueniemur innocentes.* Siquidem ut Petri ſcripta *teſtantur, charitas operit multitudinem peccatorum.* Vnde Daniel *ad regem terrifica in ſomnis uiſione æſtuantem. Quamobrem, rex conſilium, inquit, meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum: forſitan ignoſcet* Deus *delictis tuis.* Apud Iſaiam *uerò legimus quòd tametſi ita in populum accenſa eſſet ira* Dei, *ut nec*
ieiunijs

ieiunijs, nec orationibus, nec cilicio, nec cinere placari uellet, nouiſsima tamen Prophetici ſermonis parte furorem illum eleemoſynis leniri poſſe monſtratur. Regij autem Prophetæ ualde memorabilis eſt illa ſententia: Beatus uir qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Cæterũ hac in re illud ſemper eſt animaduertendum, nequaquam ob id eleemoſynas eſſe faciendas quò impunè peccare ualeamus: ſed ut cõtractas pridem ſordes abluamus, necnõ aduerſus futuros lapſus cœleſtis gratiæ & fortitudinis præſidio roboremur: minimè tamen abſurdum factu exiſtimauerim, ſi quis eleemoſynarnm copia hoc ambiat: ut ſi forſan ipſe impoſterum peccauerit, conciliati ſibi pridem fauoris beneficio facilius ueniam conſequi ualeat: uel ne ipſe diuina deſtitutus gratia improuiſo caſu occumbat, aut repentina morte circunuentus pereat, obtinere ſatagat. Enimuerò ut Eccleſiaſtica ſententia pronunciat: Eleemoſyna uiri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit: & poſtea reſurget. Sapientis quoq; uox eſt: Ante iudiciũ

para iuſtitiam tibi: & ante languorem adhibe medicinam: hoc itaque tantummodò cautum eſſe debebit, ne ipſius eleemoſynæ fiducia quaſi captata de induſtria impunitate peccetur. Cæterùm hoc ſepoſito commento, audiamus ualde memorabilem CHRISTI *ſeruatoris admonitionem. Facite, inquit, uobis amicos de mammona iniquitatis, ut & ipſi recipiant uos in æterna tabernacula. Cui quidem ſententiæ conſentaneum eſt quod poëtarum rex philoſophatus nō ſolùm in* Elyſijs *campis illos collocat, qui proprijs meritis ad beatas ſedes prouecti ſunt, uerùm etiam eos qui in cæteros homines benefici fuerunt, qui'que ſui memores alios fecere merendo.* Hoc *igitur in præcipuis rei de qua quæritur, remedijs ſemper erit habendum.* Sed *& hoc non in poſtremis conſilijs ponendum quod* Chriſtus *prodidit inquiens,* Si *dimiſeritis peccata hominibus, dimittet & uobis* Pater *ueſter peccata ueſtra.* Ingenti *quidē admiratione dignum eſt, quòd hac una re cœleſtis ille* Pater *ſuæ miſericordiæ beneficium in cuiuſque facultate poſuiſſe cenſetur:* Dei *nam'que ipſius*

in

in remittendis peccatis ſentẽtia, ut diuus Leo explicat, ex noſtro pendere uidetur arbitrio: quandoquidẽ eo nos Deum aſtringimus iudicio, quo nos aliũ iudicauerimus. Illud præterea ualde memorabile eſt, quòd ſeruator ipſe quò facilior nobis in cœlum pateret aditus, & maiorem de noſtra ſalute certitudinem conciperemus, uerſantibus nobiſcum hominibus, regni cœleſtis claues tradidit: ſic enim ille ait. Quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hoc certè eximium & maximè præſentaneum eſt Chriſtiano cuiq; homini remedium: nulla uero ratione prætermittendũ uidetur, quod à Sapiẽte dictum eſt: Orationem humiliantis ſe, nubes penetraturam. Quocirca efficaciſſima mihi ſemper uiſa eſt illa Prophetici Regis ſupplicatio, dum ait: Ego uero orationẽ meam ad te Domine tempus beneplaciti Deus. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me in ueritate ſalutis tuæ. Nõ me demergat tempeſtas aquæ: neq; abſorbeat me profundũ: neq; urgeat ſuper me puteus os ſuum. Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecũdum multitudinẽ miſerationũ tuarum reſpice in me:

& ne auertas faciem tuā à puero tuo: quoniā tribulor uelociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Lætifica animā ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Quoniā tu Domine ſuauis *& mitis, et multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te.* Deus *ne elongeris à me,* Deus *meus in auxilium meum reſpice.* Ne *tradas beſtijs animas confitentiū tibi: et animas pauperum tuorū ne obliuiſcaris in finem.* Profuerit *etiam hunc in modum cum* Daniele *precari & orare,* Propter *temetipſum Deus meus inclina aurem tuam & audi, aperi oculos tuos, & uide deſolationem meam ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum: neque enim in iuſtificationibus meis proſterno preces ante faciem tuam: ſed in miſerationibus tuis multis: peccaui: iniquitatem feci, impiè egi, receßi, declinaui, non obediui mandatis tuis, mihi confuſio faciei, tibi autem* Domino Deo *meo miſericordia et ꝓpitiatio: exaudi* Domine, *placare* Domine, *attende et fac.* Præterea *uehemēter cœli fores pulſant illa Iudith præclaræ uiraginis uerba. Deus cœlorū creator aquarum,*

rum, et Dominus totius creaturæ, exaudi me miſeram deprecantē, et de tua miſericordia præſumentem: Placet inſuper ſanctiſſimi cuiuſdā uiri huiuſcemodi precatio. O' Domine ſi ego cōmiſi per quod damnare me debes, tu nō amiſiſti unde ſaluare me potes: uerū eſt quòd conſcientia mea meretur damnationem æternā: ſed miſericordia tua ſuperat omnē offenſionē: quòd ſi per tuā iuſtitiam damnare me uis, ego miſericordiā tuam appello, quæ ſuperexaltat iudicium. Parce ergo mihi, quia non eſt impoſſibile tuæ potentiæ, nec indecēs tuæ iuſtitiæ, nec inſolitū tuæ clemētiæ. O' Domine qui me plaſmaſti tua bonitate, ne, quæſo, pereat opus tuum mea inquitate: rogo, quæſo, ſupplico, ne perdas quod tua fecit omnipotens diuinitas. Equidem fuſas ad Deum preces ſummopere efficaces eſſe uel ob id maximè intelligere poſſumus, quòd ſeruatoris ipſius ore dictū eſt, ſi quid petieritis Patrē in nomine meo dabit uobis atqui proculdubio in illius nomine petitur quicquid eius fiducia ad ſalutē poſtulatur. Rurſum uerò ab illo dictū legimus, Omnis qui petit accipit, & pulſanti aperietur. Et iterum. Petite, inquit,

inquit,& accipietis:pulſate,& aperietur uobis. Et adhæc: Quis ex uobis petit à patre panem, nũquid lapidem dabit illi? aut ſi piſcem, nunquid pro piſce ſerpentẽ dabit illi? aut ſi petierit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionẽ? Si ergo uos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs ueſtris, quã to magis pater ueſter cœleſtis dabit uobis ſpiritum bonum petentibus ſe. Ergo ut diuus Iacobus monet: *Petamus nihil hæſitantes*, atq; nobis certo certius perſuademus, neminẽ unquam repulſam paſſurum, qui propriam faſſus indignitatem impetrandæ ueniæ cauſam in ſola Dei clementia & bonitate ſtatuerit. Præterea alienis precibus multa obtineri poſſe nemini dubiũ eſſe reor: Nam cum grauiter olim in Iudaicũ populum ira Dei exarſiſſet, eo quòd obliti eſſent illius qui ſaluaret eos, feciſſentq; uitulum in Horeb, atq; adoraſſent ſculptile, et mutaſſent gloriam Dei ipſius in ſimilitudinem beluæ comedẽtis fœnum, ac propterea omnipotẽs gentem omnem uellet diſperdere, ſtetit Moſes in confractione, & hanc ipſam auertit indignationem. Plurimos quoque Chriſtus aliorũ intercesſione ſanaſſe, quoſdam

etiam

etiam ab inferis ſciſcitaſſe legitur. Audi quid Iacobus ſanctiſsimus apoſtolus dicat: Infirmatur, inquit, quis in uobis, inducat presbyteros eccleſiæ, et orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei: Confitemini alterutrum peccata ueſtra, & orate pro inuicē, ut ſaluemini: multum enim ualet deprecatio iuſti aſsidua. Hæc ille. Certe conſtat Monicam Auguſtini matrem ſuis precibus ac lachrymis ſalutem filio peperiſſe. Atque hæc quidem cum pro illo uehementer ſolicita eſſet, nec à fletu die nocteq; tēperaret, à pijſſimo quodā uiro audiuit, uade & æquo ſis animo: fieri certe non poteſt, ut tantarum lachrymarum filius pereat. Ego haud dubie eum qui uiduarum, pupillorum, egenorum ac miſerabilium perſonarum pijs precibus & orationibus adiutus ac ſuffultus fuerit, perire poſſe nunquam crediderim: ſi modo adhæc ipſe deeſſe noluerit. Sanè huic quoq; rei accōmodatiſsimum fuerit, ſanctarum animarum quæ iam beata immortalitate fruuntur, interceſsionibus ſubleuari. Si enim eorū qui adhuc

adhuc impuri ſunt preces tantã uim habere cenſentur, ut cœlum penetrent: quid illorum ſuffragia poſſe exiſtimabimus, qui iam cum Chriſto regnant, & in cœleſtis gloriæ conſortiũ aſſumpti etiam iudicãdi poteſtatem accepiſſe creduntur? Inſuper ſi humilitate ſuadente humanorum ſuffragiorum præſidia requirere cuique licitum arbitramur, cur ſine ulla CHRISTI *offenſa cœleſtia nobis patrocinia comparare nõ licebit, non tam quidem iudicis aſperitatem uerentibus, quàm ob noſtram indignitatem ad illum accedere præ uerecundia erubeſcẽtibus? Ad hæc autẽ inter maximè arcana remedia illud adnumerare non prætermittam, eos qui charitatis feruore impulſi de infirmorum & ad mortem ægrotantium uel morientium ſalute curam geſſerint, illos'que ope & conſilio uel, ſi minus fortè hæc procedant, nuncupatis uotis, aut fuſis apud Deũ precibus enixè iuuare ſtuduerint, nunquam opportunæ cõſolationis fauore et præſidio in morte carituros. Enimuerò quemadmodum iuris dictamine per quæ quis peccat, per hæc & torquetur; ita diuina prouidentia diſponente per*

quæ

quæ quis alios iuuerit, per hæc & ipſe iuuabitur. Vnde ſapiens, conſolare, inquit, mortuum in exitu ſpiritus ſui. Cuius rei conſideratione uir pietate inſignis Iob aiebat: Benedictio morituri in me ueniebat. Ad quod clariſſi. antiſtes Ambroſius. Teneamus, inquit, hoc in mente: & ſi quem uiderimus debilem, non deſeramus: ſi quẽ in extremis poſitum, non relinquamus: Laudet et benedicat nos omnis moriturus: ſemper hæc uerba in corde ſint, ſemper'que in ore uerſentur: benedictio morituri ueniat ſuper me: ſemper ab egredientis anima tecũ feras benedictionem. Hæc ille. Equidẽ meminiſſe debem⁹ à Domino dictũ eſſe, Eadem menſura qua menſi fueritis remetietur uobis. Et apud Abdiã legitur ſicut feciſti fiet tibi. Præterea in eccleſiaſticis ſcriptis legitur. Omnis miſericordia faciet locum unicuiq; ſecundùm meritum operum ſuorum, & ſecundùm intellectũ peregrinationis ipſius: hæc igitur perpetuò menti infixa ſeruemus: quòd ſi fortè facultatibus alijs'ue neceſſarijs rebus opem ferre morientibus uel graui morbo laborãtibus nequeamus, ſaltem quod cuiq; facilimũ eſt,

orationi-

orationibus, pijsq́; interceſſionibus illos iuuare ſatagamus: eo enim facto nihil dubie magnam gratiam, magnumq́; ad tutam profectionem præſidium nobis comparabimus. Cæterum quanta ex Dominici corporis & ſanguinis ſumptione Chriſtiano cuiq; homini ipſo migrationis tempore ſecuritas paretur, neq; mens ulla concipere, neq; ſtylus quiſquam exprimere poſſe creditur: uerißimo certè proditum eſt oraculo, quòd quicunq; hunc panem ſumpſerit, uitam æternam habebit, neque in æternum morietur. Magna certè res eſt illum ſecum habere, uel cum eo eſſe, cui omnia ſubſunt, & cuius nutu omnia tranquillantur: hac certe cum Chriſto (ut ita dicam) concorporatione animæ ſanctificantur, corporáq; ipſa nobilitantur. Inſuper & ſupernæ hæreditatis participandæ iura nobis communicantur. Poſtremò ut certiore argumento fiduciam concipiamus, & auctiorem in nobis ſpem proponamus, illud magno dignum præconio ſubijciemus quod prædilectus apoſtolus Ioannes prodidit. Si quis, ait, peccauerit, habemus aduocatum apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio

pitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Quocirca tametſi iuſtiſsimis de cauſis repelli debere uideamur, tanto tamen intercedēte patrono repulſam pati nō poſſumus: hic enim non modò omnia à Patre fidenter poſtulare, ſed et quicquid uoluerit, ſua ipſius autoritate poteſt decernere. Quis uerò unquā ſuum clientulum aduocatus et patronus repulit, aut illius cauſam non tota contentione egit atq; illū non ingenti ſemper fauorē pſequutus eſt? Vnde ad Romanos *ſcribens Paulus ait: Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, imò qui et reſurrexit, qui & eſt ad dexteram* Dei, *qui etiā interpellat pro nobis: quis eſt igitur qui cōdemnet? Certè nulla diffidendi ſubeſſe uidetur materia, ubi ille nō ſolùm pro iuſtis, uerùmetiam pro peccatoribus poſtulare paratus eſt: quinetiā ipſe peccatores ſe adeuntes mira placabilitate excipit: illis quoq; obuiam pergit, necnon ambitioſa quadā illis patrocinandi cupiditate ſuam cuiq; opem gratis pollicetur. Profectò ille magna cum ſpe adire poteſt qui pro ſuis etiā perſecutoribus oraſſe comperitur. Hic quidē ipſe ſi quid nos re-*

y *ctè*

ctè feciſſe pſpexerit, ſummopere lætatur: nec tamen æquè iraſcitur ſi qd perperā egerim⁹: excuſatorē enim potius quā accuſatorē agit: neq; pſectò ille tam pronus eſt ad nobis iraſcendū, quàm ad gaudendum pro nobis. Equidē, ſi diuo Hilario credimus ipſe ea quæ à nobis recto ſyncero'que animo facta conſpicit, nunquā paruipendit: ſed quemadmodum à principibus Eccleſiaſtice doctrinæ uiris proditum eſt, magnifacit potius, laudatq́; et extollit: quòd ſi uel uiliſsimum teruntium, uel frigidæ aquæ calicem illius contemplatione cuiquam largiti fuerimus: ipſe non ſecus quàm magnū aliquod ac precioſum munus id ſuſcipit, et collaudat, atq; cumulatiſsima gratia rependere non prætermittit. Igitur tot ac tantis ſpei fiduciæq́; ſuffulti pedamentis, qui hæſitamus dicere, Aderit ne unquam ille dies quo benigniſsimum Patrem noſtrum coram cernere, et illius faciem uidere poſsimus? O' beata atque iterum beata gens cuius eſt Dominus Deus eius populus, quem elegit in hæreditatē ſibi. Etenim Dominus fortitudo plebis ſuæ, et protector ſaluationum CHRISTI ſui eſt. O' mi Domi-

ne DEVS *Saluum fac populum tuum: & benedic hæreditati tuæ:* Et rege eos, & *extolle illos uſque in æternum.* O' *ſeruator fiat miſericordia tua ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te. Tu quidem æterne parens miſereris omnium, quia omnia potes, & diſsimulas peccata hominum propter pœnitentiam:* Diligis e*nim omnia quæ ſunt: & nil odiſti eorum quæ feciſti, nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti.* P*arcis autem omnibus quoniam tua ſunt* Domine, *qui amas animas.* Tu Deus *noſter ſuauis, & uerus, & patiens, & in miſericordia diſponens omnia:* Etenim *ſi peccauerimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam: et ſi non peccauerimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati.* Tu Domine *uitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis uſque ad portas mortis, & reducis. Tu emiſiſti nos cum luctu & ploratu: reduc nos cum gaudio & iocunditate in æternum.* O' Chri*ſte* Fili *uirginis, ad te ſunt oculi noſtri, in te ſuprema ſalus, miſerere tuorũ.* ALMAR. Viuit Dominus & *uiuit anima mea:* Nunquam *hæc ex pectoris iſtius muſeo, nun-*

quam ex hoc penore uel ſcrinio elabentur. Itaq; tuis iſtis perſuaſionibus adduct⁹, ſtatui deinceps hoc quod tã multos ingrato torret aſpectu mortis ſimulacrũ minimè horrere: uerùm ſparſis etiam, ſi liceat, floribus uenerari, atq; uirentibus ſertis coronare. Iam ego migrationẽ ex hac uita Chriſtiano homini celebrem ac iucundam eſſe debere perſuaſum habeo, perpetuóq; habebo. Iã certè mihi conſtitutum eſt uitam hanc nõ quantum antehac ſolebam magnifacere. Iam illorum mihi mos uehementer probatur, qui puerperia lugent, gaudent in funere. Valeant poſthac, metus, formidines, terrores, quibus mortales improba uiuendi cupiditate illecti miſerrimè anguntur. Mihi quidem adhærere DEO *bonum eſt, et ponere in* Domino *ſpem meam, futurum ſperans, ut is aliquando me à malis præſentibus liberet, & hinc cum gaudio tranſeam, & ad feliciores ſedes proficiſcar.* THAVT. *Bene ac egregiè res habet, macte uirtute, ſemper quantũ eniti potes, teipſum erige, et in hanc transfretationem uela cordis expande. Certè hi qui impotentius mortem metuunt, magis luctu digni ſunt,*

quàm

quam qui moriuntur: lucrũ etenim eſt ad meliora tranſire. Nam' *que, ut* Auguſtinus *ait*: *Malè mori non eſt Chriſtianorum: benè uerò mori eſt cum Chriſto uiuere atq; lætari & regnare. Quòd ſi, ut par eſt, clariſſimum martyrem* Ignatium *imitati uerè dicere poſſimus*: Meus amor *non eſt in me, ſed in* CHRISTO: *haud dubiè diſſolui cupiemus, & eſſe cum illo.* Itaque *ut* Aurelius *monet, omnem mortis moleſtiam uincere debet uis amoris: quo ille amatur, qui uita noſtra eſt, mortem' que uoluit perferre pro nobis. Quò autem quiſque ardentius amorem in* DEO *fixerit, hòc minus grauatè migrabit, minus' que animo fluctuabit: amemus* CHRISTVM, *ille nos contra omnia muniet atq; armabit. Quid ad mortis mentionem trepidamus? quid triſtamur? quid impalleſcimus?* Prophetica *præſertim tuba his nos uerbis animante*: Con*ſolamini popule meus, dicit* DOMINVS DEVS *ueſter.* Atque *ad hoc ipſo* Apoſtolo *proclamante*: Fratres *confortamini in Domino et in potentia uirtutis eius. Sanè quemadmodum idem ipſe clariſſimus præco ac buccinator*

Euange-

Euangelicus ait: dum in hoc corpore ſumus, peregrinamur à DOMINO: *ideóque cùm euocamur, nulla ratione tergiuerſari, ac profectionem detractare debemus:* DEI *namque uoluntati prompta mente parendum eſt; quandoquidem* AVGVSTINO *teſte, niſi uolũtas* DEO *ſubdita ſit, illa à iuſtitiæ tramite recedit: nec profectò quiſquam rectus eſt, niſi qui creatoris uoluntati lubens paret & obſequitur.* EGESIPPVS *quidem ingrati animi eſſe cenſet citius diſcedere quàm uelit, & diutius uiuere uelle quam ſtatuerit ipſe, qui uitã donauit.* Mors *olim peccando parta eſt: nunc autẽ æquo animo moriendo iuſtitia impletur.* Atqui *nos moriendo non morimur, ſed ad uitam peruenimus: quippè hæc non uiuentium, ſed ad uitam proficiſcentium regio eſt: mortem uerò ærumnarum requiem, & portum laborum eſſe ſapientiſſimus quiſque fatetur: illa quippè bonis ac celerat patriam, malis autem reſecat malitiam.* HERMÉS *ille* TRIMEGISTVS *moriens ad circunſtantes diſcipulos ait: hactenus filij pulſus à patria uixi peregrinus, et exul: nũc*

uerò

uerò patriam repeto: cum'que corporeis uinculis abſolutus diſceßero, ne me tanquam mortuũ lugeatis: nam ad illàm optimam beatam'que ciuitatem regredior, ád quam uniuerſi ciues mortis corruptione uenturi ſunt: ibi nanque ſolus Deus eſt ſumus princeps, qui ciues ſuos replebit ſuauitate mirifica. Planè ut eſt apud SENECAM, *Quemadmodum maternus uterus nouem menſibus nos tenet & præparat non ſibi, ſed illi loco, in quem uidemur emitti iam idonei ad trahendnm ſpiritum, auram'que ætheream fruendam: ſic ipſi in hoc ſeculo præparamur ad alium, in quo multò melior rerum ſtatus eſt: proinde intrepidi debemus decretoriam illam horam proſpicere: dies quidem ille quem tanquam ſupremum ſpectamus æternæ uitæ natalis eſt: altius hinc aliquid cogitemus: lucroſa dubio procul eſt ex hac uita migratio: poficiſcimur enim ad meliora. Quid enim habet hæc uita commodi, imò quid non incommodi & laboris? animus noſter diuinus eſt & immortalis: hic autem locus diuinæ naturæ & æternitati, necnon*

immortalitati contrarius eſſe dignoſcitur. Ea-propter aliud nobis optandum domicilium. Ita-que longè ſatius eſt cum Propheta ob id quod incolatus noſtri dies prolongentur queri, quàm Theophraſti more naturã propter humanæ ui-tæ breuitatem accuſare: diuerſorium quidem no bis uelut in tranſitu, nõ habitandi & cõmoran-di ſedẽ in terra datam eſſe exiſtimare debemus. Etenim, ut inquit Apoſtolus, non hic ciuitatem permanentẽ habemus, ſed futuram inquirimus. Ideoq; cum ſanctis illis patribus noſtris confite-ri debemus nos hoſpites eſſe ſuper terram. Pro-fectò quod Tullius cõfirmat, ſapiẽtiſſimus quiſ-que æquo animo moritur, ſtultus iniquiſsimo: quanquam enim ſtulti ſæpè magno impetu in pe-ricula ruunt, non tamen iudicio, ſed temeritate id faciunt, neq; æquanimiter fatum perferunt, ſed immani quadam efferatione aguntur. Ratio-ne igitur timorem ac metum expugnare debe-mus, qui haud dubiè ipſa morte peior eſt, omnẽ enim uitam amaritudine conſpergit. Pulchrè Vergilius dum generoſum deſcribit equũ, quod Seneca cordato uiro tribui poſſe exiſtimat.

Primus

Primus, inquit, inire uiam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto ſæpe committere ponto:
Nec uarios horret ſtrepitus.

Adde quòd ſtultiſſimũ eſt illud timere quod nulla ratione uitari poteſt: magnæq; dementiæ aſcribi debere uidetur, fugere uelle, quum retrocedere nequeas: hoc quoq; teſte Seneca, ualdè ineptũ eſſe conſtat cõtumaciter et ignauè facere, quod uelimus, nolimus omnino facere neceſſe habemus. Equidem ſuperuacuum eſt dolere, conflictari, timere, ubi dolendo & timendo nihil proficitur: hoc enim nihil aliud eſt quàm malorum cauſas ſibi grauiores & acerbiores facere, ſuaq; incommoda ultro augere, nec ſe tormento reſeruare, ſed illud ante tempus accerſere.

Cur ante tubam tremor occupat artus?

inquit Poëta. Infirmus animus multo antequã opprimatur ſuccũbit. Inſuper uilis et dedecoroſa eſt omnis trepidatio: honeſtũ enim imperterritũ eſt, ſemper ſtat in procinctu: uirtuti nanq; perpetuũ robur ineſſe nulli dubium eſt. Itaque longe honeſtius cenſeri debet ſponte facere quod faciun-

dum eſt, & hoc magis uirtuti conſentaneum eſſe intelligitur. Ergo animis opus eſt ac pectore firmo: proinde, ut quidam ait: Cum tempus affuerit te precor eſſe uirum. Atqui quemadmodum pernicioſior eſt hoſtis fugientibus ac metuentibus: ſic & exitus ab hac uita eos qui trepidant magis affligit. Quid iuuat angi turbari, anxiari? eo ꝓficiſcimur, ut CORDVBENSIS Philoſophus ait: quò omnia eunt: quid noui eſt? ad hanc legem nos natura genuit: patribus matribusque noſtris hoc accidit: hoc auis proauisq;, & cæteris ante nos contingit: hoc & poſt nos reliquis omnibus ſeries inuicta & nulla mutabilis ope illigat cuncta, trahitq;: quantus nos populorum numerus præceßit? quantus comitabitur, quantusue ſequetur? Omne humanũ genus quod eſt, quodq; erit, morte damnatum eſt: omnes quæ uſquequaq; rerum potiuntur urbes ubi fuerint aliquando quæretur: uario nanque exitus genere tollentur: quaſdam bella deſtruent: alias deſidia paxq; ad inertiam uerſa cõſumet, & magnis operibus exitioſa res luxus diſperdet, aut repentina aquarum inundatio no-

rabit

rabit, aut in ſubitam cauernam conſidentis ſoli lapſus adducet: quid eſt ergo quod indignemur, aut doleamus, ſi exiguo momento publica fata præcedamus, omnia orta concidunt, & aucta ſeneſcunt, nimis delicatus eſt qui non uult mundo ſecum pereunte mori. Reſpiciamus hunc totius humani generis comitatum, qui eo tendit: uita cuique data eſt cum expectatione mortis: nemo autem queri debet ſe in ea eſſe conditione in qua omnes ſunt: magnus animus DEO pareat: & quicquid lex uniuerſi iubet ſine cunctatione exequatur. In meliorem emittimur uitam: lucidius tranquilliusq; inter diuina manebimus: hic portus nobis aliquando petendus eſt, nunquam recuſandus: illos imitemur, quos non piget mori, cùm iuuet uiuere: quæ eſt enim uirtus cùm eijciaris exire? nunquam ſapiẽs eijcitur: quia eijci eſt inuitum expelli: atqui ſapiens nihil inuitus facit, neceſſitatem effugit, quia ſponte facit quod coactus facere cogeretur. Porrò uenientẽ mortem nemo hilaris excipit, niſi qui ſe ad illam diu compoſuit: ijs quidem aureis uerbis Seneca nos ad mortis contemptum adhortatur.

adhortatur. At uero ſanctioris philoſophiæ profeſſor inſignis, & ſententiarum ubertate locupletiſſimus filius Sirac ſic ſcribit. Noli metuere iudicium mortis: memento quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperuentura ſunt tibi. Vehementer autem ſuis literis pectora noſtra Paulus roborat firmatq́; dum ait: Nemo noſtrum ſibi uiuit: & nemo ſibi moritur: ſiue enim uiuimus, Domino uiuimus: ſiue morimur, Domino morimur. Siue ergo uiuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Itē magnificabitur Deus in corpore meo ſiue per uitam, ſiue per mortem. Cæterū ſi ueritatem ſpectare uelimus, profecto fas non eſt mortem uocare diſſolutionem hanc, qua mortalitas magis finiri intelligitur, quàm uita. Semper enim uiuūt, qui animam ſuam Chriſto commendant: proinde ſaluatoris ipſius ſentētia dormitionem potius quàm mortem dicere atq; exiſtimare debemus, ubi ad Deum proficiſcimur. Planè quanquam multa ſunt quibus fluctuās animus in morte confirmari poſſe uidetur: nihil tamen æquè hominis mentem ſolatur, quàm id quod ad leuandam graui peccatorum faſce conſcientiam, necnon conci-

conciliandam Dei beneuolentiam, futuriq́; ſtatus ſecuritatem aucupandam pertinere intelligitur. Proinde hoc ſolandæ mentis genus potiſsimè nobis ſectandum atq; amplectendum eſt: neque enim ſolū ægritudini cordis hoc ipſum egregie medetur, uerumetiam efficit ut quicquid nos hac in re moliamur, ingenti poſtea meritorum fœnore penſetur. Vna quidem præcipue morientibus cura decori atq; præclari exitus eſſe ſolet, ſed ea tantum quæ æternæ felicitati cōducunt, ſpectaſſe, cæteriſq́; ſpretis rebus hunc ſibi ſcopum propoſuiſſe, multò melius. Cæterū, ut Ciceroni uidetur, qui id quod uitari non poteſt, metuit, is uiuere quieto animo nullo modo poteſt: ſed qui non modo, quia neceſſe eſt mori, uerumetiam quia nihil habet mors quod ſit horrendum mortem non timet, magnum is ſibi præſidium ad beatam uitam comparat. Certè ſi quis uitæ huius miſerias, calamitates, pericula, curas ac ſolicitudines, ſedula meditatione recogitet, hic profectò ſemel cadere quàm ſemper pēdere ſatius exiſtimabit : uel ex Sapientis ſententia, mortuos quàm uiuentes beatiores cenſebit; atque Maro-

nianum

quaſi effodientes theſaurũ gaudentq́; uehementer cùm inuenerint ſepulchrum. Certè nõnullis *maiorẽ uitæ, quàm mortis metum eſſe cõſtat: ſiquidẽ, ut* Hieronymus *ait:* Inter *graſſantia mala neceſſariò exitus ſitienter optatur: ſed ſicut nec noſtrũ fuerat naſci, ita nec poteſtatis noſtræ eſt mori: alioqui ſi in poteſtate noſtra eſſet mori, eſſet et non mori.* Prò Deũ *immortalẽ, inquit* Tullius, *quàm optabilius iter illud ineundum eſt, quo cõfectò nulla reliqua cura, nulla ſolicitudo futura ſit: quæ autẽ dementia eſt tam impotenter amare quod ſeruare nõ poſſumus? et cõtra negligere quod inæternũ habere poßimus.* Equidẽ, *di*no Chryſoſtomo *cõfirmãte, ille qui præter modum mortem timet ſeruus eſt: & omnia, ne moriatur, facere & perpeti paratus erit. At uerò qui felix eſſe cupit, nec rerum, nec hominũ terrore cõcuti anima illi in expedito habẽda eſt, profectò ſi hoc euinci poſſet, ne unq̃ moreremur, pro hac re forte hominẽ ſolicitũ eſſe deceret. Sed ut* Apoſtolus *ait:* Statutum *eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Proinde *ubi nihil conſilio profici poteſt, una ratio uidetur quicquid acciderit*

ferre

omnia erectus eſt. Atq; hic quidem ex Senecæ ſententia ita ſecum ſtatuere debet, nihil unquam incidet, quod triſtis excipiam, nec malo uultu naturæ tributum exoluam; Tributi huius immunitas nemini conceditur: non tantùm bono, ſed etiam magno animo hoc ferre paratus ſum: quid aliud debeo quàm exeuntem animam adhortari, & cum bonis omnibus emittere, atque hunc in modum abſcedentem affari: Vade fortiter, uade feliciter. Animus æquus in re mala dimidiũ mali eſt, ut ait Comicus. Felix, *inquit* Maro,

Qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Atq; metus omnis & inexorabile fatum
Subiecit pedibus. Quàm *egregiè* Annæus *noſter,* Contemne, *ait: mortem: & omnia contempta ſunt ſiue bella, ſiue naufragia, ſiue ruinarum pondera: nunquid iſta amplius facere poſſunt, quàm ut animam à corpore reſoluant? hoc nulla diligentia euitat: iratis* Dijs *propitijsq; moriendum eſt: animus ex ipſa deſperatione ſumatur.* Crudelius *ac moleſtius eſt ſemper timere mortem, quàm ſemel mori.* Turpis autem *fuga mortis, ut ſcribit* Cicero, *omni morte peior eſt.*

 Profectò

Profectò, teſte Valerio, *Ratio uitam diligere, mortem autem non timere ſuadet: unde apud* Lucanum,

Mors ultima pœna eſt, nec metuenda uiris

Accedit, quòd conſtans, & honeſta, pioq́; homine digna mors haud dubiè turpiter actam uitã ſæpiſſimè exornat, hominemq́; ipſum, prioris opinionis labe deterſa, & Deo, *& mortalibus omnibus commendat.* Attollamus ergo *criſtas, & aduerſus formidata conſiſtamus: altius ac ſublimius quidpiam quàm quæ terrena ſunt, ſpectemus, hoc eſt clariſſimam atq; fulgentiſſimam illam beatarũ animarũ patriam.* Quid nos, *(ait quidã bonus* Pater*) inter dæmonum laqueos, hominum gladios, carnis motus illicitos remanere delectat? ubi quotidie mundus labitur, reatus augetur, uirtus minuitur, corpus multis pœnis & laboribus fatigatur: ruinoſum eſt corporis iſtius domicilium in quo uiuimus: procelloſum eſt mundi huius pelagus intra quod currimus: periculoſum eſt quicquid ex terrenis diligimus: quæ certè omnia ſuadent, ut non inuiti, ſed alacres exeamus.* Quis autem, *ut* Ambro-

ſius inquit, uiuens poſſit tutò laudari, qui & de præterito meminit ſe habere quod doleat, & de futuro uidet ſibi ſupereſſe quod timeat? quis etiam in hoc corpuſculo poſitus debeat ſibi quicquã uendicare de meritis, quorum iter uitæ occulta dæmonum infeſtatio uelut latronum obſidet multitudo: quibus per omnes uias ſupplantatores inuiſi animarum laqueos tendunt innumerabilibus mortibus expaueſcẽdos: nauigantibus enim nobis per hoc mare magnũ & ſpacioſum, in quo reptilia quorum non eſt numerus: animalia puſilla & magna, id eſt diuerſa inimicorum genera, ualde pertimeſcendum eſt, ne nauim noſtram aut procella tempeſtatis arripiat, aut fluctus abſorbeat, aut in æternam prædam pirata crúdelis abducat. Hæc ille. Hoc *autem maximè quorundam animos debilitare conſueuit, quòd ipſi ea tantùm ſpectant & intuentur quæ dura, acerba & ingrata uita uidentur: in hisq́; meditãdis tota mente incumbunt atque immorantur, degeneres trepidant animi, peiora que uerſant.* At *quantò prudentius cœleſtium gaudiorum æternitatem cõtemplari, et cum ſacrorum carmi-*

num uate decantare. Quàm dilecta tabernacula tua Domine uirtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerũt in Denm uiuum. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie ubi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare uultus mei & Deus meus. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Quantum, quæſo, pijs mentibus ſolamen illa Chriſti uerba afferũt: Iterum inquit, uidebo uos: & gaudebit cor ueſtrum: & gaudiũ ueſtrum nemo tollet à uobis. Quiſnam hominũ his auditis non toto pectore exhilareſcat? quis non migrationem optandam, potius quàm refugiendam æſtimet? quis uiſionis illius tempus fauſtum ac felix non cenſeat? Quòd ſi uitam amamus, cur ueram & æternam non exquirimus? et cum intelligamus illam hîc non eſſe, cur ad eum ubi illa eſt locum non lubenti animo proficiſcimur? Quid, quæſò, detrectamus morti mori, ac

uitæ uiuere? Audendum nobis eſt, & delicatæ mentis ignauia uiriliter comprimenda. Q*uis uerò ob id non immenſo gaudio afficiatur, quòd ipſe propediem ad* Patrem, *necnon & fratrem qui in cœlis uno nomine principantur iturus ſit? Affectus quidem noſtri corporea mole prægrauantur: & luto deſideria noſtra hærent.* Verùm *ut uir quidam egregiæ doctrinæ inquit:* Ex *tantillo quod iam datur libet exclamare,* Domine *dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ regni tui.* Q*uòd ſi anima totam ſe colligat, & proculcatis affectibus dum timentur quæ timere nō oportet, amantur quæ amare non decet: dolendo uanè uaniusq; gaudendo tota uoluntate & libertate, totoq; impetu ſpiritus illa prouolet: non'ne cum cœperit circuire lucidas illas ſedes, et ciuitatis* Dei *manſiones, ac reuiſere animas in prima ſtola ſecundā expectantes: multò magis tunc inſtabit & dicet:* Vnam *petij à* Domino *hanc requiram, ut inhabitem in domo* Domini *omnibus diebus uitæ meæ.* Hæc *ille.* S*anè ubi amictum hunc anima exuerit, tunc illi arcana cœli & mundi conſpicua erunt: di-*

 ſcutietur

quàm ſub ſole morari. Prætereà, ut eſt apud Chryſoſto. Is qui mortis tyrannidem, & metũ pedibus ſubijcit, ſimul etiam diaboli uires diſſoluit: & hoc ipſi acquiritur meritum, quòd a quo animo exoluitur tributum. Cæterùm ad ſummam negotij pertinet, ut egregiam illam Pauli ſententiam pro ſymbolo uſurpemus, ſemperq; in ore habeamus, Mihi uiuere Chriſtus eſt, et mori lucrũ: hoc nobis perpetuò ꝑpoſitum, & nunquã delebili charactere mẽti infixũ ſit. Nec ambigamus Chriſtũ, ſi fidenti animo inuocatus fuerit, dulciſſimis reuelationibus trepidantiũ mentes in exitu cõfirmare ſolitum. Quemadmodum diuus Gregorius illuſtrib. ſcriptis ac monimentis prodidit: neq; enim dux ille noſter, qui Deus totius cõſolationis eſt, ſuos unquã deſolatos manere pateretur: ſed nec illi nos in morte deſerere putandi ſunt, qui per totam uitam noſtræ tutelæ munus, Deo mandante, geſſerunt: hi nanque Auguſtino teſte, miro quodam fauore nobis afficiuntur, præſertim ubi nos bonæ uolũtatis eſſe, & de ſalute noſtra cogitare animaduerterint. Cum autem bonis mentibus Deus promptiſſimè

occurrat, haud dubiè magnam illic Angelorum multitudinem adeſſe nemo opinor, inficiabitur. Atq; hi quidem ob communem finem ſocialem nobis operam ſemper impendere paratiſſimi eſſe intelliguntur. Inſuper & hoc quoque nos egregiè ſolari debet, quòd Chryſoſtomus cõfirmat, Chriſti ſcilicet benignitate fieri ut non alio tempore hinc euocemur, quàm quo nobis ex hac uita exire ac demigrare utilius eſt. Quocirca Cypriani conſilium exaudientis, læto hilariq; animo fauſtiſſimum illum diem excipiamus, qui nos iſtinc ereptos, ſecularibusq́; laqueis exutos paradiſo reſtituit, regnoq́; cœleſti parturit: quis non peregre conſtitutus in patriam regredi properet? quis non ad ſuos nauigare feſtinans proſperum uentũ cupidius exoptet, ut uelocius charos liceat amplecti? Patria noſtra, ut idẽ ait: cœlum eſt: parentes noſtri ſancti patriarchæ ſunt: quid non properamus et currimus, quò patriam noſtram uidere, & parentes ſalutare poſſimus? magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum, conſanguineorum, affinium frequens nos & copioſa tur-

ba

ba iam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra incolumitate ſolicita deſiderat nos in horum conſpectum & amplexum uenire: quanta illis & nobis in commune erit lætitia, qualis illic cœleſtiũ regnorũ uoluptas ſine timore moriendi, & ſine fine uiuendi. O' quàm ſumma et perpetua felicitas, illic Apoſtolorum *glorioſus chorus, illic* Prophetarum *exultantium laudabilis numerus: illic martyrum innumerabilis populus ob paßionis et certaminis uictoriam coronatus;* Triumphantes *illic uirgines reliqui'que cœlites ineffabili gaudio exultantes. Vtinam citò cum illis eſſe poßimus, & cito cum* CHRISTO *gaudere & lætari ualeamus: hanc cogitationem noſtram ipſe uideat: hoc propoſitum mentis noſtræ ille benignus aſpiciat, qui ampliora ſuæ gloriæ præmia his dare conſueuit, quorum ferventiora erga ſe deſideria cognoſcit. Ipſe uerò deſideriorũ noſtrorũ finis erit, quem in ſuperna patria ſine fine uidebimus, ſine faſtidio amabimus, ſine fatigatione laudabim⁹, ipſe* Deus *me⁹, & glorificabo eum* Deus *patris mei, & exaltabo eum. Igitur uiriliter agite, & confortetur cor ueſtrum omnes qui ſperatis in* Domino.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FINIT excellens & eruditione multijuga ſcatẽs opuſculum Dialogi more contextum, cuius inſcriptio eſt, De exhilaratione animi, quem metus mortis angit atq; contriſtat, Authore præcellentiſsimo Patre Domino AYMARO FALCONEO THAVTANO bonarum literarũ ut ſtudioſiſsimo, ita etiam callentiſsimo, necnon ſummo heroicarum uirtutum ſectatore, qui communi proſpiciens utilitati rem ſcitu non iucundam modò, uerumetiam neceſſariam, & ſe hoc eſt religioſo (is enim laudabilis inſtituti beati Patris Antonij obſeruantiſsimus cultor eſt) & uiro planè Chriſtiano dignam feliciter

ter adgreſſus eſt, & ad felicem exitum tandem iuuantibus ſuperis perduxit. Hoc itaq; maximè commoditati haud dubiè tibi futurum candide lector opuſculũ ære nõ perinde magno eme, emptum non oſcitanter perlege, ipſumq; perlectum cum relegere nõ piguerit, è memoria ne effluat diligẽtiſsimè cura: id quod ſi feceris, non dubito quin hanc ſis de eo ſententiam laturus.

Aequè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè:
Aequè neglectum pueris ſenibusq; nocebit.

In commendationem harum lucubrationum ſtudioſis haud dubiè perquàm utiliũ Domini AYMARI FALCONEI cum literarum fulgore, tum morum integritate imprimis conſpicui Hendecaſyll.

Vt ſint qui nihil eſſe morte peius
Clament, ac nimio tremant pauore,
Siquando ſonet hoc in aure nomen,
Mors: poſthac tamen eſt ei futurum
Non immite, uelut prius, libellum
Hunc quum perlegerint: eo monetur
Quiſquis, ſolliciti ſit ut timoris
Expers. AIMARVS *eſt id aſſequutus*
Vir doctiſsimus aureo libello,
Vt mens exhilaretur: hunc ueterno
Excuſſo, lege Chriſtiane lector,
Nec mortis nimio tremes pauore.

IN INCLYTA RAVracorum BASILEA, apud ROBERTVM VVINTER,
Menſo Martio, Anno
à nato Chriſto
M. D. XLIII:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



SANTIN
Restauro
74